BAUMGARTEN-CRUSIUS

—

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCLXXXXVIII ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

EXTRA ORDINEM D. I. IUL. CIↃIↃCCCXXXXI.

H. L. Q. C.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

DETLAUS CAROLUS GUILIELMUS BAUMGARTEN-CRUSIUS


ILLUSTRIS AFRANEI RECTOR ET PROFESSOR I.

Praemittitur

GUSTAVI ORTHOBII FLUEGELII Dissertatio de arabicis scriptorum graecorum interpretibus.

MISENAE

EX OFFICINA MAURITII CHRISTIANI KLINKICHTII.



De scriptoribus graecis in linguam arabicam translatis ab eo potissimum tempore in libris virorum doctorum, harum rerum peritorum, varia ac diversa leguntur, quo philosophia Aristotelica in Europaeis terris praecipue coli et tractari coepta est. Cum enim Aristoteles medio aevo summus existimaretur philosophus et admirabilis eius doctrina variis disciplinis viam aperiret, haud pauci qui ea studia amabant summo ardore eius scripta, quomodocunque fieri poterat, sibi comparabant et diligentissime legebant. Omnes autem, quae notae sunt, arabicae interpretationes scriptorum Aristotelicorum in ipso Oriente, non in Hispania confectae sunt; sed qui in hac terra praeter ceteros philosophiam tractabant, Judaei, ut ad plures illorum scriptorum notitia permanaret, eo effecerunt, quod in hebraeum sermonem transtulerunt; ex quo in latinum conversa a doctis inter Christianos hominibus explicata et discipulorum suorum diligentibus studiis commendata sunt. Hinc intelligitur, cur Gallicae maxime bibliothecae inde a medio aevo tanta illarum translationum copia instructae sint, quandoquidem hisce libris ex Hispania facillima in hanc terram patebat via.

Praeter libros Aristotelis mox etiam alia scripta quum de philosophia tum de arte mathematica et medica ex arabicis interpretationibus latine reddita et hoc modo divulgata sunt, quae plerumque nomina interpretum arabicorum prae se ferunt; et quoniam illo tempore Arabum insignis propter doctrinam et diversissimarum rerum cognitionem fama erat, libri eorum diligenter describi solebant et sic ad eos qui hasce literas tractarent viros doctos pervenerunt. Quae quidem res eam Arabibus peperit gloriam, ut auctores philosophiae aliarumque doctrinarum existimarentur. Sed quaeritur, quo tempore quoque loco et a quibus Graecorum scripta translata sint, quaeque illa scripta fuerint, in quibus operam collocarint suam, atque praeterea, in quibusnam bibliothecis libri manu scripti reperiri possint. Ad eam quaestionem nondum satis probabiliter responsum est, et qui de ea dixerunt, quum solam catalogorum auctoritatem secuti essent, neque ipsi libros vidissent, ne potuerunt quidem historiam et naturam illarum interpretationum accurate cognoscere. Non neglexit

quidem eam rem in Bibliotheca Graeca *Fabricius*, sed testes, quibus ille utitur, non ita sunt comparati, ut fides iis omni ex parte haberi possit. Quodsi negari non potest, in multorum, qui *Abu'lfaradsch*ium [1]) aliosque duces secuti sunt, scriptis non pauca inveniri, quae ad hoc argumentum accuratius pertractandum magni sint momenti, partim tamen illi auctores non satis ad criticam rationem correcti, partim falso intellecti sunt, et de multis prorsus tacent. Quae cum ita essent, literarum Academia Gottingensis ante hos octo annos, si recte memini, eam quaestionem subtiliter examinandam proposuit, quoddam huius rei auxilium esset ac remedium. Quae de ea quaestione commentatus est *Joan. Georg. Wenrichius*, „literarum biblicarum in instituto theologico August. et Helvet. Conf. Addictor. Vindobonensi Prof. C. R.", praemio digna iudicata nec tamen typis descripta sunt. Hoc quum semper doluissem, Vindobonae nuper commoratus, studiosissime operam dedi, ut diligentissima et doctrinae plenissima dissertatio non amplius lateret, sed nota fieret hominibus doctis. Nec spes me fefellit; mox enim apud *Guil. Vogelium* bibliopolam Lips. meritissimum libellus ille in lucem prodibit.

Miraberis fortasse, quod, quum ita res habeat, ego quoque in eodem argumento elaborare voluerim. Respondere licebit, quod est in proverbio: Si duo faciunt idem, non est idem; accedit, quod res ipsa, quae nunc primum in quaestionem vocatur, ita est comparata, ut vario modo tractari possit. Libenter quidem *Wenrichio*, cui cum in urbe commoretur omnibus subsidiis affluente, ex largissimis haurire licuit fontibus, palmam concedo; nec tamen dubito, quin ego quoque quaedam antea prorsus ignota proferre queam, quae illa, quorum spem facit *Wenrichius*, aut planiora aut pleniora factura sint. Etenim mihi quoque fontes quosdam [2]) haud spernendos adire concessum fuit, quibus ut sapienter uterer omni studio operam dedi. Praeterea quod ego in scribenda hac dissertatione secutus sum consilium, sine dubio ab eo, quod spectavit *Wenrichius*, diversum est; quum tamen constitutos fines transgredi non liceat, benevolos lectores rogatos volo, ut aequi bonique consulant, quae non sine labore quodam congesta enarraturus sum, quamquam pars tantum sunt eorum, quae alio tempore fusius de hac re disputabo. Nunc enim acquievi in describendis arabicis interpretationibus scriptorum Aristotelicorum, missis reliquis scriptoribus, quorum indicem tantum sub finem adieci. Quo facilius autem argumentum cognosci posset, in quattuor partes dissertationem placuit dividere.

---

1) Cf. Historia compendiosa Dynastiarum, authore *Gregorio Abul-Pharajio*, Malatiensi Medico, Arabice edita, et Latine versa, ab Eduardo Pocockio. Oxonii 1663. 4.

2) Vid. infra pag. 7 not. 1.

§. 1. De Arabum vita, studiorum amore et ingenii alacritate in universum.

Arabes quam diu Nomadum vitam agentes deserta habitabant, nihil curabant, nisi ut nobilitas sua defenderetur et conservaretur, poesis, quam vehementer adamabant, excoleretur, hospitalitatis iura exercerentur, dii quam religiosissima pietate colerentur et hostiles impetus a patria depellerentur. Vaga vita et agrestis non favebat studiis severa lege tractandis, et quantumvis lingua sua magnâ uterentur curâ ac diligentiâ atque sedulo caverent, ne emendatus et elegans sermo usu contaminaretur, prorsus tamen alieni ab ea doctrina erant et arte, qua reconditae et interioris linguae leges cognoscuntur et examinantur. Quum vero Mohammede primisque Chalifis ducibus in urbes intravissent aut expugnatas aut conditas a sese, eodem incredibili animi vigore amplectebantur urbanam vitam et civilia negotia, quo antea et in desertis pericula subierant et pugnas inter se exercuerant. Qoranus quidem libertatem literarum studio necessariam angustis finibus circumscribere videbatur; sed eventus satis probat, licet concedendum sit, disciplinas ex argumento Qorani ductas philosophiae studia initio coercuisse, in reliquis tamen, maxime autem in mathematicis, physicis et historicis exstitisse viros doctos, qui novas et ignotas vias aperirent, qua in re insigni adiumento fuere interpretationes graecorum scriptorum. Praeterea tempore ignorantiae quod dicebant (i. e. tempore ante Mohammedem) regnum Arabum ita fuit dissolutum [1]), ut et civilis conditio iaceret et superstitioni et rixis de rebus sacris maior quam religioni honor esset. Socii prophetae quique hos exceperunt disciputi partim propter religionis quam iactabant summam integritatem, partim propter mirum opinionum consensum ita in iis quae tradita fuerant acquieverunt, et ita abhorruerunt ab omni vera cognoscendi studio, ut literas et doctrinam non magni ab iis factas esse consentaneum sit. Scimus etiam, fuisse qui nefas putarent doctrinas literis mandare, moti auctoritate prophetae, qui aliquando illud licere negaverat. *Ibn Abbâs* [2]) contendit, maiores sola scribendi arte in errores incidisse, eosque qui ad literas confugissent, in litera scripta acquievisse et prorsus perdidisse vim memoriae. Librorum enim variam et multiplicem esse fortunam; atque qui ex memoria

---

[1]) Cf. Arabum historiae a me editae Part. I. p. 80. sq.

[2]) Patruelis *Mohammedis* idemque fidelissimus eius comes, cuius celebratissimum in Traditionibus (*Sunna*) nomen est. Propter insignem qua excelluit in explicando Qorano doctrinam „Interpres Qorani (*Terdschemân El-Qoran*)" vocatus est. Obiit anno fugae 68 (a. p. Chr. 687 s. 688.).

diceret, eum scire quae diceret, contra qui scripta recitaret, non certo scire, sed scriptae literae confidere.

Quum deinde finibus regni prolatis in aliis regionibus aliae de rebus ad religionem, dicta prophetica, iura civilia et sacra pertinentibus sententiae dici et obtineri coeptae essent, continuo quae ad Qoranum eumque explicandum pertinerent scripta conficiebantur et examinabantur, hominibus alacri ingenio et mentis acumine praeditis alio quodam prophetae dicto in rem suam utentibus, quod hoc modo habet: *„Doctrina est praeda et scriptura laqueus. Vincite doctrinam vestram scriptura."*

Quo tempore Arabes primum ad libros conscribendos se contulerint, non sane ita est perquisitum et indagatum, ut certum sit de ea re iudicium; complures tamen arabici scriptores in eo consentiunt, scribendi initium ab Imam *Abd-el-melik Ben Abd-el-azîz Ben Dschoreidsch* Basrensi, qui anno a fuga Mohammedis centesimo quinquagesimo sive quinquagesimo quinto (i. e. a. p. Chr. 767 s. 772) mortuus est, medio igitur octavo post Christum saeculo factum esse.

§. 2. De tempore, quo graeci scriptores in arabicam linguam translati sunt.

Ex omnibus mohammedanis qui adhuc nobis innotuerunt scriptoribus iure concludi posse videtur, *Abu Hâschim Châlid* filium *Jezîdi* et nepotem *Moawijae* principis Omaijadarum, qui ab anno 661—750 regnum tenuerunt, primum pluribus viris doctis mandasse, ut peregrinos et praeter ceteros graecos scriptores in arabicum sermonem transferrent. Eius pater, secundus ex Omaijadarum gente Chalifa, *Jezîd*, qui sub finem anni p. Chr. sexcentesimi octogesimi tertii mortuus est, chemiae studio deditus fuit, maxime autem arte musica delectatus esse dicitur. Quare mirum non est, si filius, qui et ipse eloquentia et prudentia excelluit, haec similiaque studia favore suo adiuvit et ipse studiose tractavit. Propterea teste *Hadschi Chalfa* [1]) philosophus inter Merwanidas [2]) nominatus est, et ut iure hoc nomen habere videretur, multos philosophos (quo nomine latissimo sensu Alchymistae etiam comprehendebantur) apud se commorari et graecos potissimum libros de lapide quem dicunt sapientum in arabicum sermonem transferre iussit. Hi igitur primi ab ortu Islami translati libri fuere. *Ibn Abi Jaqûb El-Nedîm* [3]) inter eos, qui hoc opere occupati fuerint,

---

[1]) Cf. Lexicon bibliographicum et encyclopaedicum ab *Haji Khalfa* compositum. Primum edidit — Gustavus Flügel. Tom. III. p. 95.

[2]) Hoc nomen traxerunt a *Merwân* quarto ex Omaijadis Chalifa, qui matrem *Châlidi* in matrimonium duxit.

[3]) *Abu'lfaradsch Mohammed Ben Ishaq El-Werrâq* (i. e. qui chartas vendit) Bagdadensis,

diserte commemorat *Stephanum* maiorem (de quo infra dicetur), qui praeter scripta Artis (ita enim κατ' ἐξοχὴν dicebatur ars alchymica) alia etiam eius iussu transtulerit. Huc accedit testimonium *Ibn Challikâni*, qui *Châlido* eximiam alchymiae et medicinae scientiam tribuit, et de libellis ab eo confectis loquitur tanquam admirabilibus doctrinae monumentis. In eius praeceptoribus numerat Marianum monachum graecum ipsumque *Châlidum* in scriptis suis saepe de eo locutum esse dicit. Quodsi nomina sane omnia illorum qui in usum principis translati sunt librorum non novimus, illud tamen firmissimo argumento concludi potest, graecos scriptores sub finem saeculi p. Chr. septimi sive quinquaginta post Mohammedem annos primum translatos esse; si quidem *Châlidus* anno fugae octogesimo secundo (i. e. a. p. Ch. 701)[1], sive ex *Ibn Challikâni* sententia anno octogesimo quinto (i. e. a. 704 p. Chr.) mortuus est — idque ut pateret, potissimum efficiendum putavi.

Post *Châlidum* eandem rem persecutus est *Mansûr*, secundus ex gente Abbasidarum Chalifa et conditor urbis *Bagdad*[2]), quo regnante et Indorum et Graecorum philosopha et mathematica scripta, et graeca quidem in syriacam, indica in persicam linguam, ex utraque autem lingua in arabicam translata sunt. Etenim omnino syriaci Christiani iique fere semper Nestoriani hoc interpretandi negotium aut iussi aut sponte literarum amore ducti susceperunt, quemadmodum *Betrîq* sive *Bitrîq*[1]) christianus astronomus et historicus iussu *Mansûri* graecos scriptores arabice reddidit; quid quod Homerum in syriacam linguam convertere conatus est Maronita *Theophilus* Edessenus. Praeterea filius huius *Bitrîq*, *Abu Zakarîja Jahja*, et ipse interpres, perpetuus comes fuit *Abu Mohammedis Hasan Ben Sahl Ben Abdallah*, quem Cha-

---

vulgo vocatus *Ibn Abi Iaqub El-Nedîm*, auctor est antiquissimae et copiosissimae arabicarum literarum historiae, cui titulus est: Catalogus doctrinarum (*Fihris el-olûm*), in quo quidem libro id maxime egit, ut scripta Graecorum, Persarum et Indorum, quorum arabicae interpretationes conscriptae essent, enumeraret. Qui liber adeo est rarus, ut ne Petropolitanae quidem Academiae, in tanta qua valet omnium praesidiorum copia, contigerit, ut exemplum in Oriente reperiretur. Prior pars in bibliotheca regia Parisina pretiosissimi instar thesauri asservatur; alteram partem Constantinopoli descriptam possidet Vir Perillustris *de Hammer-Purgstall*. Utrumque codicem mea manu transscripsi, et qua ego primus usus sum secunda libri parte, ea ad hanc dissertationem optimum praestitit adiumentum. Quod in Lugdunensi bibliotheca habetur fragmentum, nuper comperi editum iri a *Weijersio*, Lingg. Oriental. Profess. — Scriptus ille liber est anno 377 (987 s. 988. p. Chr.). — Vid. *Hammeri* liber, cuius duodecim tantum exstant exemplaria: Handschriften (arabische, persische, türkische) Hammer-Purgstall's. Wien 1840. S. 576 flg.

1) Cf. Abulfed. Annal. Moslem. ed. Reiske. I, 425.

2) Mortuus est ineunte mense Octobr. a. 775.

3) Cf. infra pag. 10, n. 2. et 3.

lifa *Emín* [1]) anno octingentesimo undecimo supremum redituum quaestorem, *Mamúnus* autem [2]) praefectum provinciarum Irae, Faris (Persidis), Ahwáz, Hedscház et Jemen fecit. Hic fuit liberalissimus et honestissimus fautor ac patronus poetarum et omnino virorum doctorum, [3]) a quo conducti plures Christiani hoc opere exercebantur. Quum autem regnante eo, quem dixi, *Mamúno* ad maximum splendorem pervenisset Arabum regnum, etiam literarum studia ad summum fastigium emerserunt, id quod tanto facilius fieri potuit, quod hic inter Abbasidas facile sapientissimus Chalifa viginti annos non inter continua, ut alii, bella imperium tenuit. Potissimum ex Cypro insula multos graecos scriptores afferendos curavit, inter quos maximo studio et amore mathematicos et astronomos singulari interpretum curae commendavit, quibus hoc etiam officium iniunctum erat, ut singulis hebdomadibus *Mamunum*, quoniam hominum doctorum consortia exoptabat, convenirent, a quo honoribus et praemiis cumulati redire solebant. Numerabantur autem his interpretibus quotannis trecena millia dirhemorum (drachmarum). — Poetas et oratores non sunt interpretati, quorum natura ita a mente et indole Arabum abhorret, ut placere vix potuerint. Plerumque tamen in eligendis quae redderentur scriptis secuti sunt Syrorum iudicium; Euclidis Elementa, quae iam sub imperio *Harúni*, qui ante *Mamúnum* regnavit, translata tunc nova et emendata interpretatione prodierunt, et Almagestus Ptolemaei, quem Barmekida *Jahja Ben Chálid* vertendum curaverat, mirum in modum mathematica et astronomica studia aluerunt; conditae enim speculae astronomicae, et per circulum meridianum in campo Sinár ductum terrae magnitudo definita [4]) et quae astronomi observassent, tabulis descripta sunt, quae vel hodie magni fiunt. *Mamúnus* instituit bibliothecam philosophorum et mathematicorum librorum copia abundantem, in quam totum se abdidit *Mohammed Ben Musa Chowarezmi*, qui primus inter Arabes de Algebra quam mathematici dicunt scripsit [5]). Ne mechanica quidem ars negligebatur, quandoquidem omnino *Mamunus* omni opera enitendum putabat, ut quavis ratione populus ad cultum et humanitatem informaretur. *Ibn Abi Jaqúb El-Nedím*, quem omnes, ut vidimus, seriores scriptores compilarunt, ex qua caussa *Mamuni* studium graecorum scriptorum ortum sit, hoc modo narrat: Aristoteles, inquit, Chalifae per somnum oblatus, eum ad studium Graecorum cohortatus est. Somno excitatus literas dari iussit ad imperatorem Byzantinum, ut ab eo optimos et utilissi-

1) Qui occisus est mense Sept. a. 813.

2) Hic Chalifa Tarsi mortuus est d. IX. mens. Aug. 834.

3) Mortuus est anno fugae 203 (i. e. a. p. Chr. 818 s. 819.)

4) Cf. Güside in: Gemäldesaal von Hammer-Purgstall. Bd. II. p. 233.

5) Cf. The Algebra of Mohammed Ben Musa. Edited and translated by Frederic Rosen. London, 1831. 8.

mos graecorum scriptorum libros impetraret. Qui initio precibus non obsecutus, tandem Chalifae voluntati morem gessit [1]). In iis, quibus commissa est scriptorum quae acceperat interpretatio, fuerunt *Heddschâdsch Ben Matar*, *Ibn Bitrîq*, *Selma* sive *Selmân*, libri *Beit el-hikmet* i. e. „Domus sapientiae" auctor, *Ioannes Ben Masoweih* (*Masuje*), *Mohammed* et *Ahmed* et *Hasan*, *Schâkiri* astronomi filii, de quibus infra dicendi locus erit [2]). Ex his *Ioannes Ben Masuje* et ipse in terram Rumaeorum missus est, ut libros colligeret, et tres quos ultimo loco dixi fratres, eo nomine laudantur, quod, ut reliquos taceam, *Honeinum Ben Ishaq* magna munificentia instructum ad Rumaeos miserunt, ut ibi per plures annos eundem finem persequeretur. Qui viri omnes permulta philosopha, geometrica, arithmetica, musica et medica scripta apportarunt, quod idem fecit etiam *Qosta Ben Luqa*; et *Abu Soleiman Sedschestâni* refert, quosdam interpretes, ut *Honein Ben Ishaq*, *Hobeisch Ben Hasan*, *Thâbit Ben Qorra* singulis mensibus certam quingenorum numorum aureorum mercedem accepisse. — Quod ad doctrinam interpretum attinet, hoc sane concedendum est, hosce Nestorianos non omnes pari modo in graeca et arabica lingua versatos fuisse. Quae autem *Harûn El-Reschîd*, *Motewakkil*, *Motasim* aliique Chalifae ad studia graecarum literarum diligenter tractanda contulerint, ea vehementer dolemus quod hic propter brevitatis quibus tenemur leges per singulas partes enarrare et describere non licet.

§. 3. De interpretibus ipsis.

Nomina interpretum, quotquot ex libris et impressis et manu scriptis, et inter hos quidem pluribus adhuc ignotis congerere mihi licuit, accurate enumerabo, eamque operis mei partem propterea potissimam arbitror, quod illi viri nusquam ita inveniuntur collecti.

1. — Primum locum obtinet *Stephanus* maior, qui, ut supra dictum est, vixit aetate *Châlidi* neque cum alio commutari debet, qui Dioscoridem transtulit et nono saeculo floruit. De utroque a pluribus scriptoribus falsa narrata sunt. Alter ille *Stephanus*, qui Dioscoridem interpretatus est [3]), fuit filius Basilii et aequalis *Honeini*

---

1) Cf. Cod. *Hammeri* fol. 29 v. — *Haji Khalfae* Tom, III. p. 95.

2) Cf. Bibl. phil. Cod. Vindob. N. 105. pag. 39.

3) Cf. Relation de l'Egypte par *Abd-allatif*. Ed. *Silv. de Sacy*. Paris 1810. 4. pag. 52. 495 et 499. — Cod. Vindob. Historiae medicorum ab *Ibn Abi Oseibia* (v. quae disputavi de eo in *Erschii* et *Gruberi* Encyclop. Sect. III. Tom. VI. pag. 236-37.) compositae fol. 125 v. et 126 r.

Ben Ishaq, cum quo interpretandi diligentia certavit. His tertium addidit *Puseyus*[1]), filium *Masaili;* sed hic ab eo, de quo modo dixi, non distat, erravitque ille, quod falsam *Hadschi Chalfae*, quem habuit auctorem, scripturam secntus est. Annum etiam, qno vixisse traditur, coniectura tantum assecutus est. Praeterea Bibliotheca philosophorum, quae dicitur[2]), secundum eum quem Vindobonae descripsi codicem[3]) commemorat *Stephanum Harranensem*, qui Carris aut natus aut diutius commoratus est; sed *Ibn Bachtischua* in historia medicorum nil nisi nomen laudat, medicumque eum fuisse dicit, qua re id tantnm efficitur, ut certum videatur, illum Stephanum ante *Ibn Bachtischuam* vixisse. Incertum tamen est, num *Georgius Ibn Bachtischua Dschondeisabur*iensis[4]) historiarum scriptor ille fuerit, qni in aula Chalifae *Mansur*i vivebat, an *Gabriel*, medicus Barmekidae *Dschafar*[5]) et nepos *Georgii*[6]), an *Abdallah*, filius *Gabrielis*[7]). Porro Arabes, ut traditur in Bibliotheca philosophorum[8]), Stephannm quendam Babylonium noverant, philosophnm et astrologum, prophetae aeqnalem et auctorem libri de astrologia iudiciaria[9]).

2. — *Bitrîq* i. e. Patriarcha vel potius πατρίκιος (qui titulus est muneris civilis a Constantino M. instituti), qui, ut supra vidimns, *Mansûr*i tempore vixit, sed minus notns est, quam filius *Jahja* sive *Ioannes*. Uterque, ut ipsum nomen prodit, Graecus fuit[10]).

3. — *Jahja* sive *Joannes* filius *Bitrîq*i libertus *Mamûn*i et comes *Hasani*, qni fuit filius *Sahl*i, tanquam proprio nomine dicebatur Interpres (*Terdschemân*), quia eius interpretationes medicorum et physicorum librorum praestantia sua reliquas antecellebant; praeter hanc artem philosophiae etiam studiose operam dedit. Est autem hic in multis iis, qui documento sunt, praeter ceteros christianos medicos transferendi negotium suscepisse. *Hadschi Chalfa* diserte dicit, eum praecipue Aristotelis

---

1) In Catalogi codd. mss. orient. Bibliothecae Bodleianae Parte II. Oxonii, 1835. p. 587.

2) Huius Bibliothecae quia auctor esset, in *Abu'lfedae* Historia anteislamica a *Fleischero* edita pag. 233-35 demonstravi; eum, ut nunc clare patet, *Abu'lfaradschius* in ea libri sui parte, quam historiae literarum dicavit, secutus est.

3) Pag. 66.

4) *Abu'lfar.* p. 221.

5) Ibid. p. 235-37.

6) Chrestom. Ed. *de Sacy* I, 53. (not. 50.)

7) Laudatur ab *Hadschi Chalfa* in parte nondum edita.

8) Pag. 79.

9) De Stephano Alexandrino Categoriarum explanatore vid. *Casirium* in Bibliothecae Arabico-Hispanae Escurialensis Tom. I. (Matriti 1760. fol.) pag. 308.

10) *Pusey* l. l. pag. 501. — *Ibn Abi Oseib.* fol. 126 r.

libros ex ipso graeco sermone in arabicum convertisse, e quibus ex. gratia commemoro tres libros *περὶ ψυχῆς*, quamquam non tam interpretationem ad verbum factam, quam summarium scripsisse putandus est; praeterea decem libros *περὶ ζώων ἱστορίας*, quattuor libros *περὶ οὐρανοῦ*, quorum apud Arabes ad argumenti rationem accuratior titulus est: de Coelo et Mundo. Ad hos accessit interpretatio libri Galeni de Theriaca, Ptolemaei Quadripartiti[1]) et aliorum[2]).

4. — *El-Heddschádsch Ben Matar*, interpres Euclidis et Almagesti (*Μεγάλης Συντάξεως τῆς ἀστρονομίας*). *Hadschi Chalfa* uno tantum loco eum commemorat, quo summarium libri Aristotelis de optica ab eo factum dicit. Quodsi *Puseyus*[3]) eum dicit eundem esse cum praecedente *Ioanne*, haec opinio sola nititur coniectura. Etenim inter nomen *Iahjae* et *Heddschádschi et* particula[4]) excidit in codice, quo usus vir doctissimus est. In Bibliotheca philosophorum[5]) *Heddschádsch Ben Iusuf Ben Matar* Cufensis nominatur et *Harúno El-Reschíd* Euclidem sed minus accurate reddidisse narratur, ut supra diserte dictum est. Ex his patet, eum inde ab anno fugae centesimo septuagesimo (i. e. 786 et 787 p. Chr.) usque ad annum fugae ducentesimum vicesimum (835 Chr.) floruisse. Cufae aut natus fuit aut domicilium habuit. In Bibliotheca philos. singulari capite de eo non agitur[6]).

5. — *Ibn Naïma* sive pleniore nomine *Abd-el-mesíh Ben Abdallah Himsi*. Dicebatur *Abd-el-mesíh* i. e. Messiae servus sive cultor, quia Christianus fuit, et *Himsi*, quia originem duxit ex Emessa urbe (*Hims* apud Arabes). *Hadschi Chalfa*[7]) et Bibliotheca philosophorum[8]) commemorant eum ut syriacum interpretem libri Alexandri Aphrodisiensis de Sophisticis Elenchis sive argumentationibus. In hac praeterea summarium ab eo factum dicitur commentariorum eiusdem Alexandri ad quattuor libros sive dimidiam partem Physicae Auscultationis Aristotelis[9]).

6. — *Sellám El-Ebresch* i. e. *Sellám* albis aliisque naevis turpatus, unus ex antiquissimis interpretibus, sine dubio maxime floruit tempore Barmekidarum. *Ha-*

---

[1]) Sive quattuor librorum de apotelesmatibus et iudiciis astrorum (*Τετράβιβλος σύνταξις μαθηματική*).

[2]) Cf. *Cas.* l. l. p. 246. 257. 309. 310. 362. — *Abu'lfar.* p. 250. — *Haji Kh.* pluribus locis quum editis tum ineditis. — De interpretibus et explanatoribus Euclidis arabicis schediasma historicum. Auctore I. C. *Gartz.* Halae 1823. 4. pag. 28. — *Ibn Abi Oseib.* fol. 126 r.

[3]) Cat. p. 540.

[4]) Cf. *Haj. Kh.* III, 97.

[5]) *Cas.* I, 341. — *Gartz.* l. l. p. 7.

[6]) Cf. tamen *Cas.* p. 310 et 350.

[7]) Tom. III, 97.

[8]) *Cas.* I, p. 244. 245.

[9]) *Cas.* l. l. p. 246.

dschi Chalfa[1]) eum in universum ad interpretes refert, et, quod sciam, in solo illo libro, qui fons fuit huic scriptori, in Catalogo ab *Ibn Abi Iaqúb El-Nedím* edito commemoratur ut interpres septem Aristotelis librorum τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως (Physicae Auscultationis), ibique additur, mentionem eius factam esse ab *Abu'lcásim Isa Ben Ali Ben Isa*. *Pusey*, *Casiri*, *d'Herbelot* et alii ignorant eum.

7. — *Hosein Ben Behríc*, Metropolita Mosulensis, Chalifae *Mamúno* complures libros in arabicam linguam transtulit. Sine dubio idem est atque *Ibn Behri*, quem *Hadschi Chalfa* inter eos commemorat, qui *Praedicamenta* Aristotelis in epitomen coegerunt, et *Abu Behrín*, ut idem[2]) vocatur, ubi refertur epitomen libri aristotelici περὶ ἑρμηνείας ab eo editam esse. Apud *Casirium* (I, 308) dicitur *Ibn Behrín* et ibidem (p. 309) *Abu Behrín*. Ab eodem commemoratur etiam pag. 305. *D'Herbelot* et *Pusey* eum non noverunt[3]).

8. — *El-Naïmi El-Himsi*, qui non diversus videtur ab interprete supra (n. 5.) commemorato, quamquam dubitari de ea re potest, quoniam plenum huius nomen *Zaruja Ben Madschuh* seu simili modo habuit; libri enim manu scripti dubium relinquunt. Ex nomine concludimus, eum syriacum Christianum fuisse; solus *Ibn Abi Iaqúb El-Nedím* eum commemorat, *Hadschi Chalfa* autem veritus sine dubio corruptam scripturam, quam invenit in auctore suo, qui rescripsit *Ibn Abi Iaqúb Nedímum*, prorsus eum omisit (III, 97).

9. — *Hilál Ben (Abi) Hilál El-Himsi*, et ipse igitur Emessenus, quattuor priores libros Conicorum Apollonii reddidit. — Cf. Biblioth. philos. in *Cas.* I, 385. et *Uri* in Catal. Bibl. Bodleianae p. 205. Cod. CMXLIII.

10. — *Todzára*, nomen aperte corruptum apud *Ibn Abi Iaqúb El-Nedím*, sub qua corruptela verisimile est latere Theodorum. Certe Theodorus quidam, aequalis *Honeini*, Analytica priora Aristotelis transtulit, quae *Honeino* corrigenda tradidit[4]). Sed de hac quidem quaestione propter eam quae in urbe nostra est typorum arabicorum inopiam, diligentius explicare hoc loco non possum. — Theodorus, pagi Bagdadensis *Kerch* episcopus, cui cum librorum colligendorum studiosissimus esset, medici Christiani plura Graecorum scripta interpretati sunt, ab *Ibn Abi Oseibia* (l. l.) commemoratur.

11. — *Abu Nasr Ben Bari*, aut quemadmodum in *Hammeri* exemplari *Ibn*

---

1) Tom. III, p. 97.
2) *Haj. Kh.* II, 5. n. 1616.
3) *Ibn Abi Iaqúb El-Nedím* saepius eum commemorat.
4) Cf. etiam *Abu'lfar*, Histor. Dynast. p. 483 sq.

Abi Iaqûb Nedîmi fortasse rectius legitur, *Ibn Auwa*, eamque scripturam etiam *Hadschi Chalfa* secutus est (III, 97). Dicitur illo loco filius *Eijubi* i. e. Iobi. Praeterea nihil mihi de eo innotuit, pariter atque de

12. — *Basilio* Metropolita, quem et ipsum solus commemorat *Ibn Abi Iaqûb El-Nedîm* et de

13. — *Abu Nuh Ben-elsalt*, cuius nusquam alibi mentio fit.

14. — *Abu Nasr Osthat* (i. e. Eustathius) *Heirûn*, vocatur etiam *Ostath El-Kindi* i. e. regia stirpe *Kindeh* oriundus [1]). *Ostath* praeter alium ad rem rusticam pertinentem graecum librum, quem reddidit etiam *Qosta Ben Luqa*, Metaphysica Aristotelis [2]) transtulit, et singularem dissertationem de Aristotele edidit. Christianum eum fuisse, certe libere de doctrina *Mohammed*is sensisse credibile est [3]).

15. — *Ibn Rabita*, qui quidem praeterquam quod *Ibn Abi Iaqûb El-Nedîm* et post eum *Hadschi Chalfa* eius mentionem iniiciunt, nusquam, ne in Bibliotheca philosophorum quidem commemoratur.

16. — *Theophilus Thomae* filius, christianus astronomus Edessa oriundus, qui, ut supra adnotatum est, doctrinam Maronitarum in Libano monte habitantium sequebatur. Scripsit historiam satis idoneam, et utrumque Homeri carmen summa arte et elegantia transtulit, qua re factum est, ut Arabibus antiquissimus poeta, quamquam excerptus tantum et epitome circumscriptus innotesceret.

17. — *Schemlinn*, cuius itidem nomen tantum commemorat *Ibn Abi Jaqûb El-Nedîm*, ex Bibliotheca philos. scimus arabice reddidisse commentarios Themistii ad Aristotelis Metaphysicorum librum XI, et Galeni librum de chylo [4]).

18. — *Isa Ben Nuh* i. e. Iesus Noae filius, quem propter ipsum nomen consentaneum est Christianum fuisse, fortasse Syria ortum.

19. — *Ibrahim Coweiri*, qui cognomen *Abu Ishaq* habuit et praeceptor *Abu* Bischr *Mattae* fuit. Qnum artem logicam profiteretur, magna industria, quamquam duro nec satis perspicuo sermone Aristotelis scripta transtulit, et praeter alia Categorias, librum περὶ ἑρμηνείας, cuius etiam commentarios edidit, et Analytica priora [5]).

20. — *Dâria* monachus. Huius interpretis *Ibn Abi Iaqûb El-Nedîm* nomen tantum commemorat, pariter atque

---

1) De magno *El-Kindi* v. infra n. 47.

2) *Τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ βιβλία ιδ'* i. e. Metaphysicorum libros XIV.)

3) Cf. *Cas.* I. 310. et Bibl. phil. p. 108.

4) *Cas.* l. l. p. 555.

5) *Haj. Kh.* II. 5. n. 1606. — *Cas.* I, 309. — Bibl. phil. p. 43. — et ab *Ibn Abi Iaqûb El-Nedîm* saepius commemoratur.

21. — *Heijabeschiuni* (?).

22 — *Eijub* i. e. Iobus *Rohâwi* i. e. Edessa ortus, linguae syriacae peritior quam arabicae, quem cave ne commutes cum

23. — *Eijubo Ben-elqâsim Raqqi*, i. e. qui Raqqae, syriaca urbe, natus est. Hic quum alia, tum Porphyrii Isagogen et Syriaca in arabicam linguam transtulit. Nulla eius viri apud reliquos auctores mentio. — Uterque ab *Ibn Abi Oseibia* commemoratur et ille quidem ab alio *Eijubo* distinguitur, cui cognomen est maculosus (*Ebresch*) [1]).

24. — *Thâbit Qima*'i (?) filius.

25. — *Semân* i. e. Simeon, qui commercium habuisse videtur cum utroque Iobo. Iussus a *Mohammede* (*Ben Châlid*) *Ben Jahja* Barmekida cum Ptolemaei quaedam scripta tum alios Graecorum libros transtulit.

26. — *Basîl* i. e. Basilius, qui commentarios Porphyrii ad libros I. II. III. IV. Aristotelis de Physica Auscultatione in arabicum convertit [2]).

27. — *Abu Amru Iuhanna* (Ioannes) *Ben Iusuf Ben-elharth Ben Bitrîq*, scriba et sacerdos graecus illius temporis doctissimus, qui optime meruit de Euclide et complures mathematicos et geometricos libros in arabicum sermonem transtulit. Quod *Ibn Abi Iaqûb El-Nedîm* dicit, convertisse eum etiam Platonis aliquem dialogum, id nominum confusione ortum videtur [3]).

28. — *Ibn Schahdâ Kerchi*, qui non semper satis probabili ratione graecos scriptores ex syriaco in arabicum sermonem transtulit. Videtur medicus fuisse atque in eius interpretationibus numeratur liber quidam Hippocratis de quiete [4]).

29. — *Merlâhi* (?), aequalis *Ishaqi* [5]), praeter ceteros syriace scripsisse dicitur et in eloquendis peregrinis nominibus balbutivisse narratur. Moderante et ducente *Ali Ben Ibrahîm Dehli* graeca scripta, quorum quidem titulos nescimus, ex syriaco in arabicum convertit, conversaque correxit et emendavit *Ali*.

30. — *Darischua* Christianus syriacus, qui iussu *Ishaqi Ben Soleimân Ben Ali Haschimi* graecos scriptores a Syris conversos arabice reddidit.

31. — *Qosta Ben Luqa* Heliopolitanus, vir doctus, syriacae, graecae et arabicae linquae aeque gnarus, qui partim ipse graecos scriptores transtulit, partim

---

1) Cf. etiam Essai historique et littéraire sur la médicine des Arabes. Par P. J. *Amoreux*. Montpellier 1805. pag. 179.

2) *Cas.* I., 244.

3) *Cas.* I, 426. — Bibl. ph. p. 439.

4) Cf. *Ibn Abi Oseib.* fol. 125 v., ubi etiam eius pater laudatur.

5) De quo infra n. 33. dicetur.

translatos ab aliis correxit. Huius viri diligentiae *Mamúnus* debuit magnam arithmeticorum, geometricorum, astronomicorum, musicorum et philosophorum scriptorum copiam, quam in itinere per graecas civitates collegit. Ex iis quae transtulit scriptis exempli gratia commemoro: *Sphaerica Theodosii*, quae iussu Chalifae *Mostaînbillah*[1]) ex graeco in arabicum convertit circa annum 250 (i. e. 864 p. Chr.) — nonnullas partes Aristotelici libri de *Physica Auscultatione*[2]) — alias eius partes commentatus est — praeterea dissertationem *Theodosii de Habitationibus* — *Hypsiclis librum anaphoricum* sive de ascensionibus. Magnam cum conscriptorum ab eo, tum translatorum librorum copiam testatur Bibliotheca philosophorum[3]). *Qosta* aequalis fuit *Kindii* mortuusque et sepultus est in Armenia post annum fugae 250 (i. e. 864 p. Ch.), quo a *Senhárîbo* rege evocatus fuerat; qui quod in eius honorem condidit admirabili arte concameratum sepulcrum, tanquam munificentiae vere regiae documentum celebrarunt[4]).

32. — *Abu Zeid Honein* (al. *Honain* s. *Hhonain*) *Ben Ishaq*, de quo in *Erschii* et *Gruberi* Encyclopaedia[5]) fusius disputavi, Hirae in Chaldaea initio tertii post fugam saeculi natus est patre pharmacopola. Quae patris ars iam puerum ad medicinae studium detulisse videtur. Ac tantum in eo profecit, ut Bagdadi *Ioannes Ben Mesue*, clarissimus medicus et celeberrimus praeceptor, veritus, ne discipuli gloria nomini suo officeret, domo sua eum prohibuerit. Verum id ipsum plurimum ad augendam eius gloriam contulit. Per duos enim deinceps annos peragravit Byzantini regni provincias, in quo itinere et accuratam linguae graecae scientiam sibi comparavit et magnam graecorum scriptorum copiam conquisivit. Post reditum breve tantum tempus Bagdadi commoratus Basram (Bassoram) se contulit, ubi duce *Challîlo Ben Ahmed* arabicam linguam perdidicit. Hinc Bagdadi graecos scriptores et in syriacum et in arabicum sermonem transferre coepit, qua re brevi tantam consecutus est gloriam, ut excellentissimorum et gravissimorum virorum cumularetur gratia ac beneficiis. *Gabriel Ben Bachtischua*, medicus *Motewakkeli* Chalifae anno octingentesimo sexagesimo primo mortui, scholarum habendarum et exercendae artis medicae veniam ei dedit, aditumque ad Chalifam patefecit. Cui cum satis apertis

1) Cf. *Schultens*. Supplem. ad d'Herbelot. Biblioth. Orientale. — *Haj. Khalf.* I, 389. n. 1099.

2) *Hottinger*. Smegma Orient. p. 282 sq. et *Haji Khalfa*.

3) *Casir*. I, 420.

4) Cf. *Casir*. I, pag. 420. — *Abu'lfaradsch*. p. 274. — *Montucla* I, 372. — Biblioth. phil. p. 300. sq. — *Ibn Abi Oseib*. fol. 125 v. —

5) Sect. II. Tom. X. pag. 353 sq.

documentis persuasum esset, *Honcin*um nihil prorsus commercii habere cum imperatore Byzantii, in numerum medicorum suorum eum recepit et praefecit collegio interpretum, quos magno sumtu alebát. Inter hos luminum instar emicuerant *Stephanus* Basilii filius, *Musa Ben Chálid*, qui *interpres* vocari solebat[1]), *Jahja Ben Adi* et *Hobeisch Ben-elasem*[2]) *Honeini* sororis filius, qui ut infra dicetur, collegas suos omnes insigni doctrina et admirabili interpretandi arte antecelluit. Sed *Honeinus* quantumvis artis medicae, philosophiae et mathematicae scientia excelleret, non tamen invidiam et malignitatem reliquorum, qui in aula Chalifae erant, christianorum medicorum, qui praeter *Honein*um omnes in celeberrima *Dschondeisaburi*ensi schola docti fuerant, et vitiosa aemulatione inimicitias inter se exercebant, effugere potuit atque ne ipse quidem ab illo vitio abhorruisse videtur. Quare quum aliquando praesente Chalifa cum *Zakarija Teifuri*[3]) christiano medico, num sole capitis dolores, quibus Chalifa vexabatur, augerentur an minuerentur, acriter disputaret, hic capitale in eum concepit odium. Itaque quum sive imprndens sive consulto sanctae virginis imaginem conspuisset vel *Teifuri*um hortatus esset, ut conspueret quae positae sub cruce erant hominum imagines, quos dixit ad eos esse referendos, qui Christum cruci affixissent, hoc facinus illico ad Chalifam iudicem detulit, qui rem Patriarchae Nestorianorum (fortasse Theodoro) et sacerdotibus iudicandam permisit. Qui quum *Honein*um diris imprecationibus septuagies repetitis coram magno Christianorum coetu exsecrati essent eique zonam detraxissent, Chalifa noluit amplius eius arte uti et in deiecti locum *Teifuri*um substituit. *Honein*us aut moerore, aut, quod credibilius est, sumto veneno mortuus est eadem nocte, mense Decembr. anni Graecorum 1188 i. e. 876 p. Chr. et fugae anno 263 (sive, ut aliis videtur, 260). Reliquit duos filios, *Dawud*um et *Ishaq*um, quorum hic postea praefectus fuit interpretum collegio et ipse multos graecos scriptores transtulit, quamquam, ut infra videbimus, praeter cetera philosophiam amavit et tractavit. *Dawud*us non videtur nisi medicinae studio occupatus fuisse.

Iam quaestio oritur, quot et quos scriptores *Honeinus* converterit aut conversos emendarit et quos commentariis suis illustraverit[4]). Ad quam quaestionem tanto difficilior responsio est, qúo minus certe definiri potest, quaenam ipse quaeve cum

---

1) Bibl. phil. pag. 201. ad *Casir.* I, 288.

2) Alii, ut *Ibn Abi Oseib.* l. l: *El-Aschem* i. e. bicolor.

3) Cf. *Amor.* l. l. pag. 228.

4) Cf. ea de re Bibl. phil. pag. 201 sq.

aliis fecerit, et quae emendarit tantum et adornarit, sed suo nomine in titulis apposito. Meruit praecipue (id quod si singulos scriptores aliquando pertractare concessum fuerit, fusius dicetur, quum hic nomina tantum laudare liceat) de Euclide, Ptolemaeo, Platone, Aristotele, Alexandro Aphrodisiensi, Paulo Aegineta, praeter ceteros autem de medicis, inque iis maxime de Hippocrate et Galeno [1]).

33. — *Ishaq Ben Honein Ben Ishaq Abu Iaqub Ben Abi Zeid* ut pater ad sectam Nestorianorum pertinuit. Numeratur in doctissimis et diligentissimis interpretibus et linguarum scientia vel patrem superasse dicitur. Quae hic imperfecta reliquit, persecutus est, commentarium Platonis secundum Macidorum (?) et nonnullos Aristotelis libros in syriacam et arabicam linguam convertit, emendatam editionem Almagesti curavit, interpretationem Datorum Euclidis edidit, et reliquit etiam libros a sese conscriptos. Munere fungebatur apud eundem Chalifam, apud quem pater, qui magnas ei reliquerat divitias, provinciam obtinuerat. Mortuus est anno 910 vel 911 vel 912 p. Chr. [2]).

34. — *Thábit Ben Qorra Ben Merwán Ben Kerája Ben Ibrahim Ben Kerája Ben Marinos Ben Selamánus Abu'lhasan* Carris in Mesopotamia oriundus, aeque gnarus fuit arithmeticae, philosophiae, artis logicae, geometriae, astronomiae et mathematicae, sed priusquam harum literarum studiis se dedit, in illa quam dixi urbe argentariam faciebat. Hinc Bagdadum se contulit, ubi antiquorum literas ediscere coepit. Praeter artem medicam ferventissimo studio philosophiae operabatur et *Ibn Challikán* [3]) narrat, eum circiter viginti libros conscripsisse et insignem operam collocasse in emendanda et adornanda eius quam *Qosta Ben Luqa* fecerat interpretatione Euclidis. Hic quoque cum ea quam amplexus fuerat secta Sabaeorum lites habuit et a praeside eius templo prohibitus est. Resipuit posthac, sed novis rixis quum iram movisset, a coetu et societate Christianorum remotus et exclusus est. Quo facto relictis Carris *Kefertutham* [4]) sive *Kefretutham* [5]), quae et ipsa Mesopotamiae

---

[1]) Cf. *Ibn Abi Oseib.* fol. 125 v. — *Amoreux* l. l. pag. 93 sq. cf. pag. 164. — *Encycl.* l. l. et Tom. X. pag. 344 sq. — et *De-Rossi* in Dizionario storico degli autori arabi più celebri, Parma 1807. 8. pag. 102 sq. — *Haji Khalfa* multis locis, alii.

[2]) Cf. Bibl. phil. pag. 91. — *Abu'lfed.* Annal. Mosl. II, 322. — *Haj. Khalfa* pluribus locis — Catalog. fol. 73 v. — Plura de eo congessi in Encyclop. l. l. p. 355.

[3]) Cf. B. F. *Tydemani* Conspectus operis *Ibn Chalicani* de vitis illustrium virorum. L. B. 1809. n. 127. — et *Ibn Challikani* Vitae illustrium virorum. Edidit *Ferd. Wüstenfeld* Fasc. II. pag. 27 sq.

[4]) Ita *Abu'lfeda.* Cf. Géographie d'Abou'lféda. Texte arabe publié par M. *Reinaud* et le Baron *Mac Guckin de Slane.* Paris 1840. pag. 284.

[5]) Cf. *Ibn Challik.* l. l.

urbs est, se contulit, ibique tantisper commoratus est, dum *Mohammed Ben Musa Ben Schákir* [1]) e regno Byzantini imperatoris rediret, ex quo tempore usu et consuetudine inter se coniuncti, eandem domum habitabant et perpetuo fruebantur commercio cum summis illius temporis astronomis. Hic aditum etiam ei paravit ad ipsum Chalifam, et *Thábit* omnisque eius stirps Bagdadi domicilium suum collocarunt. Natus fuit anno 836 et mortuus est anno 901 [2]). Reliquit filium, *Ibrahim*um, qui in patris locum successit, et inter medicos illius temporis magnam consecutus est famam. Eius nepos *Abu'lhasan Thábit Ben Sinán Ben Thábit*, et ipse Sabaeus, floruit Bagdadi regnante Buida *Moizz-ed-dewlet*, avique aemulatus est medica, philosopha, geometrica et mathematica studia [3]). — De *Thábiti* scriptis et translationibus, ex quibus duplicem editionem Elementorum Euclidis, additamenta et commentarios ad quosdam eorum libros, Data Euclidis cum introductione in eius scripta, Sphaerica Archimedis et Sectiones Conicas Apollonii Pergaei commemoro, *Hadschi Chalfa* identidem loquitur [4]). *Abu'lfaradschius* [5]) *Thábit*um centum quinquaginta arabicos libros de dialectica, mathematica, astrologia et arte medica et sedecim syriacos conscripsisse narrat, ac de nonnullis eorum fusius exposuit De-Rossi [6]).

35. — *Hobeisch Ben-elhasan El-Asem* i. e. arida vel curva manu laborans, ut supra iam adnotatum est, filius sororis *Honeini* fuit et a Syris plerumque *Bar Hasan* vocatur. Pluribus de eo alio loco [7]) egi ibique ostendi, floruisse eum in aula Chalifae *Motewakkeli*. *Hobeisch*ius si non maiore, pari certe atque avunculus gloria fruebatur, unde etiam *Honeini* et *Hobeisch*ii nomina sexcenties a scriptoribus commutata sunt, et dubitari non potest, quin multa *Honeino* tributa sint, quae conscripsit *Hobeisch*ius. Praecipue in Galeni libris occupata eius diligentia fuit, cuius multas varii argumenti dissertationes arabice reddidit, id quod index scriptorum in Bibliotheca philosophorum [8]) enumeratorum ostendit. Accuratius quam ceteri scriptores de eo egit *Abu'lfaradschius* [9]), quem Simon Assemani [10]) exscripsit; *Abu'lfaradsch*ius autem sua ex Bibliotheca philosophorum hausit. Praeter hunc

---

[1]) Cf. infra n. 63.

[2]) Die Jovis mensis Safer vicesimo sexto, anno a fuga 288.

[3]) Cf. *Gartz*. p. 35. et auctores ibi laudatos et Bibl. phil. pag. 120.

[4]) Cf. praeterea *Casir*. I, 341. 389-91. 438. 439. — *Gartz*. pag. 37 cl. 17.

[5]) Hist. Dyn. p. 281 sq.

[6]) *Dizion. stor*. p. 181. — *Amor*. l. l. pag. 217. cl. pag. 225. — De *Thabito* interprete (*Naqil*) cf. *Ibn Abi Oseib*. fol. 126 r.

[7]) In Encycl. *Ersch*. et *Grub*. Sect. II, Tom. IX. p. 86.

[8]) *Casir*. I, p. 256.

[9]) Hist. Dyn. p. 266.

[10]) Bibl. Orient. Tom. II, p. 272., iisdemque verbis. Tom. III, p. 164., ubi Hottingerum (Bibl. Orient. p. 222.) secutus est.

saepe eum commemorat *Hadschi Chalfa*, a quo etiam *El-Amesch* i. e. aeger oculis vocatur[1]).

36. — *Isa Ben Jahja Ben Ibrahim* i. e. Jesus Joannis filius Abrahami filii, natione Syrus et secundum codicem Vindobonensem Bibliothecae philosophorum[2]) *Honeini* discipulus, qui arabicis translationibus graecorum scriptorum egregie factis magnam famam consecutus est. In his primum locum obtinent LXX. libri Oribasii[3]), praeter quos transtulit etiam Hippocratis libellum de iure iurando[4]), tres eius libros de morbis popularibus aliaque complura eius scripta[5]), Galeni librum de praenotione, de curatione venae per sectionem, de medicamentis morborum generibus contrariis et accommodatis et quae sunt reliqua[6]).

37. — *Abu Othmân Saîd Dimeschqi* (Damascenus) Jacobi filius, inter praestantissimos numerandus est interpretes, qui praeter ea, quae ipse de arte medica conscripsit, in arabicum sermonem libros septem Topicorum Aristotelis convertit, et breve summarium commentariorum Alexandri Aphrodisiensis ad Aristotelis librum de Theologia sive Metaphysicis edidit[7]).

38. — *Ibrahim Ben-elsalt*, syriacus idemque arabicae linguae peritissimus Christianus, qui aut ante *Honeinum*, aut certe eodem quo ille tempore vixit, siquidem notum est, quem primus reddidit Ptolemaei Quadripartitum sive librum ad Syrum auditorem suum, ab *Honeino* correctum esse. Eundem librum *Ibrahimus* commentariis instruxit; praeterea scripsit breve summarium libri I. Physicae Auscultationis, quem alius vir doctus, opinor *Jahja Ben Adi*[8]), in commodum *Abu'lfaradschii Codâma Ben Dschafar Ben Codâma* commentatus fuerat, transtulit Almagestum primumque eius librum explanavit; porro primum librum Galeni de tumoribus praeter naturam et Consilii sive Medicamenti praescripti puero, qui paroxysmo epileptico laborabat, librum I[9]) syriace et arabice reddidit.

39. — *Ibrahim Ben Abdallah* Christianus, vulgo Interpres (*Naqil*[10]) dictus, octavum Topicorum Aristot. librum et Alexandri Aphrodisiensis dissertationem de Aristotelis Rhetorica arabice reddidit[11]).

1) Cf. praeterea Cod. Bibl. phil. p. 109. et de eius vita p. 208. — *Ibn Abi Oseib.* fol. 125 v.

2) Pag. 284.

3) Cf. ibidem pag. 85.

4) Cf. *Fabric.* II, p. 589. (*Ὅρκος*).

5) Cf. Cod. Bibl. phil. pag. 108.

6) Cf. *Casir.* I, 234. 237. 254. 255. — *Pusey* l. l. p. 587. ad Cod. 592. — *Ibn Abi Oseib.* fol. 125 v. — *Amor.* l. l. pag. 166.

7) Cf. *Casir.* I, pag. 244. 245. 305. — Cod. Bibl. phil. pag. 474. — *Ibn Abi Oseib.* fol. 126 r.

8) Cf. *Casir.* I, pag. 245.

9) *Τῷ ἐπιληπτικῷ παιδὶ ὑποθήκη*. — *Casir.* I, 254. 255. 349. 350. — Cf. etiam *Ibn Abi Oseib.* fol. 126 r.

10) Non *Noqid*, quod perperam apud *Cas.* legitur I, 243.

11) Cf. *Casir.* I. 245. 309.

40. — *Abu Zakarija Jahja Ben Adi Teflisi* (al. *Belqisi*) *Ben Hamid Ben Zukarija* Jacobita ita excelluit ea quam sedulo tractavit philosophia et logica, ut inde ei nomen Philosophus et Logicus poneretur. Sedem habuit Bagdadi et studiose audivit *Abu Bischrum Matta Ben Junos, Abu Nasrum Mohammed Ben Mohammed Ben Tarchan Farâbi,* alios; ipse antem praeceptor fuit *Isae Ben-elwezîr El-Dscherrâh*[1]). Quos sua manu scripsit codices[2]), qui multi fuere, propter literarum insignem nitorem[3]) magno pretio conquirebantur, et tamen, quod in tanta elegantia mirum videtur, singulis diebus et noctibus centenas (?) scidulas literis implevisse narratur. Praeter eos, quos ipse composuit libros[4]), ex graecis quae vel transtulit vel explanavit scriptis commemoramus Aristotelis Topica, quae transtulit, Auscultationem Physicam[5]), cuius octavum librum adnotatione illustravit, et Metaphysica, praeterea commentarium in dissertationem Alexandri Aphrodisiensis de discrimine inter genus et materiem. Plurimi enim fecit Alexandrum Aphrodisiensem, qui fuit aequalis Galeni, et cuius commentarios ad varios scriptores graecos, ut diserte traditur in Bibliotheca philosophorum, studiose non Byzantini tantum sed Mohammedani etiam usque ad recentissima tempora conquirebant. *Jahja* praeter eos quos diximus libros ex syriaco sermone in arabicum transtulit primum Aristotelis de Arte Poetica librum, et utrumque commentarium Alexandri Aphrodisiensis ad primum librum Physicae Auscultationis ab *Abu Ruh El-Sabi*[6]) arabice redditum, edidit emendatum, et priorem partem commentarii ad librum secundum[7]), quem *Honeinus* ex graeca in syriacam transtulerat, ex hac in arabicam linguam convertit. Commentarios Themistii ad quattuor Aristotelis libros de Coelo (et, quod Arabes addunt, de Mundo) *Jahja* arabice reddidit et primum librum adnotatione sua illustravit. Praeterea arabicam interpretationem commentariorum Macidori (?) ad eiusdem librum de Generatione et Corruptione ab *Abu Bischr Matta* factam emendavit, librum Categoriarum

---

[1]) Cf. *Casir.* I, 246.

[2]) Cf. ibidem p. 247. et Hist. Dyn. p. 209.

[3]) Quod possedit *Ibrahim Ben Abdallah* exemplar *Honeini* interpretationis librorum Aristotelis de Sophisticis Elenchis, Arte Rhetorica et Poetica *Jahiae Ben Adi* manu transscriptum emturus *Farâbi* quinquaginta aureos frustra promisit, et quum mortuo *Ibrahimo* ab eius haeredibus centum viginti aureis emere vellet, eamque pecuniam ut conferret operam dedisset, comperit, eos libros Chorasano cuidam cum aliis quibusdam libris tribus millibus aureorum addictos esse. Adeo quae eius manu scripta erant expetebantur. — Cod. Bibl. phil.

[4]) Et in Bibliotheca quidem philosophorum quadraginta sex commemorantur de grammatica, physica, metaphysica, logica, arithmetica, philosophia et aliis doctrinis.

[5]) Non ὄργανον, ut *Casirius* I, 243. falso tradit.

[6]) Cf. *Casir.* I, 243.

[7]) Cf. tamen ibidem I, 246.

cum commentario Alexandri Aphrodisiensis arabice interpretatus est, quae interpretatio circiter trecentis plagulis comprehensa fuit, et quam *Ishaq* fecerat syriacam Topicorum translationem arabicam fecit et commentarios adiecit, quum a sese confectos, adeo copiosos, ut mille fere paginis constarent, tum Ammonii et Alexandri Aphrodisiensis a se translatos. His addimus interpretationem libri I (qui brevior dicitur, ἄλφα τὸ ἔλαττον) Metaphysicorum. Ex Platonis scriptis libros de Legibus [1]) transtulit et interpretationem Timaei recognovit. — Obiit octogenarius mense Septembri a. 975 p. Chr. (extremo mense a. fugae 364), et Bagdadi in Christianorum templo *Qatîjet* sepultus est. Alii eum eodem quidem die sed anno ante mortuum dicunt. D'Herbelotius [2]) Tacrîti Mesopotamiae urbe natum et peripateticorum philosophorum asseclam eum fuisse contendit [3]).

41. — *Abu Nasr Mohammed Ben Mohammed Ben Tarchân Farâbi* i. e. urbe *Fârâbo Chorâsanae* oriundus, quae urbs hodie est *Otrâr* prope *Belosagun* et *Kâschgar* sita, ab Arabibus propter perfectam aristotelicae philosophiae scientiam *alter Aristoteles* summusque Mohammedanorum philosophus vocatur. Qui quamquam non ipse libros Aristotelis transtulit, omnes tamen, quas invenire potuit, interpretationes explanavit, ita quidem, ut non singula verba rimaretur sed sententiarum rationem accurate spectaret. Studio philosophiae, cuius sane peritissimus illorum temporum existimator putandus est, ut magis se dare posset, reliquit patriam, nimis a literarum commercio remotam, et sedem ac domicilium constituit in Iraca. *Ibn Challikân* [4]) magna eum laude ornat, dicitque, *Ibn Sinam* (*Avicennam*) ex eius libris suam hausisse philosophiam. Praeterea, addit idem auctor, plures sciebat linguas, Bagdadi consuetudine utebatur *Abu Bischri Matta Ben Junos*, et Aristotele duce scholas de arte logica habebat et commentarios discipulis dictabat. Deinde in breve tempus Carras se contulit, ubi cum *Joanne Ben Geilân* [5]), philosopho christiano familiaritatem contraxit eiusque de logica arte scholas diligenter audivit. Bagdadum reversus scholis praecipere de philosophia perrexit. Vidit etiam Aegyptum, unde Damascum profectus a *Seif-ed-dewlet Ibn Hamdan* Sultano maximis beneficiis auctus est, atque ab eo inde tempore ita se rebus Turcarum addixit, ut, posita arabica, turcica veste semper uteretur. Obiit hac in urbe fere octogenarius anno 339 (i. e. a. p. Chr. 950 s. 951), vel ut alii arbitrantur, anno 343 (i. e. 954 p. Chr.).

---

[1]) Cf. ibid. I, 302.

[2]) Bibliothèque orientale, Paris 1697. pag. 473. sub *Iahia Ben Adda*.

[3]) Cod. Bibl. phil. pag. 417-20.

[4]) Cf. l. l. n. 716.

[5]) *Casir.* I, 190. *Geblad*, et *Abu'lfar.* p. 316. *Dschaballâd*. Uterque erravit.

Qnanta eius fuerit diligentia et assiduitas, ex eo intelligitur, quod Aristotelis librum de Anima ducenties et Organon quadragies legisse et ne id quidem satis esse contendisse narratur. Praeter ea quae diximus Aristotelis scripta commentatus est librum Alexandri Aphrodisiensis de eius philosophi Rhetorica et de Anima, Porphyrii Isagogen et Almagestum; scripsit etiam de Platone eiusque libris, quemque in philosophia spectasset finem explanavit, et adversus Galenum edito singulari libello disputavit. Fortasse etiam Elementa Euclidis interpretatus est; certe a *Farabio* quodam quattuor libros de Euclidis Elementis scriptos exstare, alio loco narrat Casirius[1]). Musicam etiam artem exercuit, ac tanta quidem sollertia, ut auditoribus in aula Sultani risum, lacrimas et somnum concitaret; quod ubi contigit, tacite se subducere solebat. Quae edidit elementa artis musicae, primas eius regulas de compositione verborum et instrumentorum, de sonorum signis et harmonia complectuntur[2]). Ceterum multa eius scripta in hebraeum sermonem translata, in bibliothecis Europaeis inveniuntur. Quoniam autem in scribendo non chartis inter se conjunctis sed parvis scidulis uti solebat, scripta eius non collecta et voluminibus comprehensa sed disiecta tantum eorum membra reperiuntur. — *Maimonides Farabium* in scriptis suis non dedisse nisi „florem farinae" narrat. Quo plura autem sunt, quae in bibliothecis Europaeis asservantur fragmenta, tanto magis dolendum, quod perpauca tantum adhuc lucem viderunt.

Propter summam qua vivebat abstinentiam ac temperantiam quattuor drachmae, quae a *Seif-ed-deulet* ei quotidie numerabantur, ad victum et omnia ad vitam necessaria sufficiebant, et ne media quidem hieme, ut narrat *Ibn Dscholdschol,* alio quam stramineo utebatur lecto. Tanta tamque insigni doctrina quum excelleret, nunquam tamen desiit de humanae scientiae imbecillitate conqueri[3]); nec tamen impietatis crimen effugere potuit, et *Ibn Gazâli*, vir magnae pietatis, et *Ibn Sina* disertis verbis impium eum atque a sincera fide mohammedana alienum dicit[4]).

42. — *Abu Bekr Mohammed Razi* (Rhasis vulgo in Europa dictus) i. e. urbe *Rei*, quae est in persica Iraca, oriundus, vir exquisitae doctrinae et summi ingenii, quem scriptores arabici Phoenicem aevi sui appellant, omnibus quas a Graecis acce-

---

1) Vid. l. l. pag. 299. 89.

2) Cf. quae ex eo libro excerpsit *De-Rossi* l. l. pag. 72.

3) Cf. *Hottinger.* Bibl. quadrip. pag. 253. — *Casir.* I, 189. sq. — et Cod. Bibl. phil. pag. 316.

4) Cf. praeterea *Abdollat.* pag. 491 [102] — *Pocockii* Spec. Hist. Arab. Oxonii, 1650. pag. 372. — *Abu'lfed.* Ann. Mosl. II, 456. et not. 350-51. — III, not. 6. — Bibliot. Mediceae Catalog. Recens. *Assemanus.* Florentiae, 1742. pag. 131. — *Gartz.* l. l. pag. 34 sq.

perunt doctrinis, praecipue autem medicina excelluit, et ne a musica quidem arte iuvenis certe alienus fuit. Hic quoque multas terras peragravit, et reversus ex itineribus nosocomii in urbe patria medicus factus est. Postea vero Bagdadi regnante *Muktefi* Chalifa [1]) nosocomio praefuit. Multa reliquit scripta, quorum indicem auctores Bibliothecae philosophorum et Catalogi doctrinarum nobis servarunt. Praeterea complures Aristotelis libros ut Categorias, librum *περὶ ἑρμηνείας*, *φυσικῆς ἀκροάσεως βιβλία η*, Analyticorum priorum maximam partem in epitomen coegit, Porphyrii Isagogen explicuit et singularem libellum conscripsit, in quo quae dubia ei visa essent in Galeni scriptis, recensuit; eiusdem Galeni librum de pulsibus excerptum edidit pariterque dissertationem de „methodo medendi [2])“. Ex libro de morborum caussis et symptomatis [3]) excerpsit, quae optima viderentur, eiusdemque librum de locis affectis [4]) et commentarios in Hippocratis Aphorismos explicuit; dissertationem scripsit, qua Proclum refutare studuit, et Plutarchi commentarium in Timaeum singulari libro exposuit, et quae id genus sunt alia. Multa ut satis notum est, apud nos circumferuntur scripta latina *Razii* nomen prae se ferentia, at „hae latinae, inquit Casirius [5]), *Rasis* operum interpretationes adeo barbarae ac insulsae sunt, ut nec *Rasis* dictionem nec stylum sapiant, nec sententiam quidem exprimere aliquando videantur. Illas enim ego, quoties cum Arabicis archetypis conferre libuit, non ex *Rasi*, sed ex alio prorsus auctore factas omnino censui“. Indicem autem librorum, quem praebet Bibliotheca philosophorum, totum ex Catalogo sumtum esse, hic silentio praeterire non possum. — Conf. praeterea de eo *Amor.* l. l. pag. 98. 201. 208. — *Abu'lfar.* Dyn. p. 291 sq. et *Abu'lf.* Annal. Moslem. II, 346. — *De-Rossi* quoque [6]) et *Leo Africanus* [7]) eum laudant, sed vocant *Abu Bischr* et plura commiscuisse videntur, quae locis laudatis exhibuerunt.

43. — *Fachr-ed-dîn Abu'lmeâli Mohammed Ben Omar El-Razi,* anno fugae 543 (p. Chr. 1148 s. 1149) in urbe *Rei* natus, aeque fere versatus fuit in Graecorum philosophia, atque is, de quo modo diximus, neque tamen, quantum scimus, philosophos libros interpretatus est. Nihilominus clarissimus ille Chorasanae Sultanus *Alâed-dîn Mohammed Ben Chowarezmschah* magno eum in honore habuit, quamquam propter studia sua popularibus minime placuit. Bagdadi, ubi *Leo Africanus* [8]) eum

---

1) Regnavit 902-908.
2) *Θεραπευτικῆς μεθόδου βιβλία ιδ'.*
3) *Περὶ τῶν ἐν τοῖς νοσήμασιν αἰτίων* et *Περὶ συμπτωμάτων διαφορᾶς.*
4) *Περὶ τῶν πεπονθότων τόπων βιβλία ς'.*
5) Cf. l. l. p. 266.
6) Cf. l. l. p. 155 sq.
7) Cf. *Hotting.* l. l. pag. 253.
8) Cf. l. l. pag. 281.

versatum fuisse dicit, doctrinae islamicae sectatores tanto eum odio insectati sunt, ut vel in carcerem coniiceretur, ex quo non poterat nisi intercedente Chalifa liberari; iussus enim est, contra illorum opinionem coram summis theologis disserere. Quo facto opibus haud exiguis auctus Alexandriam migrasse, et inde Bagdadum rediisse traditur. Nec tamen hic idem videtur esse cum *Fachr-ed-dîno*, quamquam et ipse *Ibn-elchatîb* appellatus. — *Ibn Sinae* doctrina et praeceptis non contentus, contra eum similesque prioris temporis viros doctos disputavit. Mathematicas quoque disciplinas studiosissime tractavit et praeter multos alios de ea doctrina libros commentarium definitionum, quibus Euclides in Elementis usus est, edidit. Alchymiae etiam operatus quum Bocharae divitias quaereret, successu caruit eoque studio, ut fit, ad inopiam redactus *Chowarezmschahi* liberalitate dives factus est magnamque suis fortunam reliquit. Auctor Bibliothecae philosophorum et qui eum sequitur *Abu'lfaradschius* eum in urbe Herat obiisse narrant, contra *Hadschi Chalfa* in urbe patria defunctum diserte dicit [1]). Gartzius eum praetermisit; nam quem commemorat [2]) *Abu Jusuf Râzi*, vix ille est, de quo hoc loco agimus [3]).

44. — *Abdallah Ibn-elmocaffa*, natione Persa, in Catalogo [4]) inter eos nominatur, qui persica scripta in arabicum sermonem transtulerunt, primus inter Mohammedanos logicis libris vertendis operam dedit in commodum *Abu Dschafari Mansûr*; inprimis ad Aristotelis libros transferendos sese applicuit, et praeter eos Isagogen Porphyrii aliosque libros interpretatus esse dicitur [5]).

45. — *Abu'labbâs Ahmed Ben Mohammed Ben Merwân Serachsi* sive *Sarchasi*, quoniam patria eius urbs Chorasanae *Serachs* sive *Sarchas* scripta legitur [6]), vulgo *Abu'ltayyib* dictus, optimus fuit *Kindîi* discipulus, et cum de philosophia tum de musica aliisque disciplinis scripsit. Eruditionis tantam famam consecutus est, ut *Motadhidbillah* iuvenis, qui postea Chalifa factus est, ei educandus traderetur. Hic deinde eum perpetuum sibi comitem esse voluit et in ipsum imperii concilium adscivit. Fidem tamen in se positam arcani cuiusdam divulgatione fefellit, quapropter iussu Chalifae interfectus est anno 286 (a. p. Chr. 899). *Hadschi Chalfa* multa eius scripta laudat, sed hic eam ob caussam commemoratur, quod Aristotelis Categorias et librum

---

1) Cf. Tom. I, 172. n. 154.

2) Cf. l. l. pag. 16.

3) Cf. praeterea *Casir.* I, 183. — Hist. Dyn. p. 455 sq. et de eius discipulis ib. p. 485. — Annal. Mosl. IV, 174 sq. 214. 238 sq. et not. 165. et de tribus fratribus IV, 432. — Antholog. grammaticale arabe. Par *de Sacy.* Paris, 1829. pag. 222 (167).

4) Cod. fol. 72 r.

5) Cod. Bibl. phil. pag. 256. — *Casir.* I, 308 et 309. — *Hadschi Chalf.* multis locis.

6) Cf. *Ibn-Fozlani* Berichte über d. Russen älterer Zeit. — Ed. *Frähn.* Petropol. 1823 4. p. XX.

περὶ ἑρμηνείας, itemque Analytica priora in epitomen coegisse atque etiam commentariis illustrasse videtur [1].

46. — *Abu Zakarîja Juhanna Ben Masoweih* (*Ben Masuje*, *Ben Meswe*), Christianus Damascenus, laudatur inter eos, quos *Harun El-Reschîd* vertendis antiquorum medicorum libris praeposuit, quorum plures Ancyrae et Amorii et in ceteris Rumaeorum terris invenerat. Idem ei scribas adiunxit, quorum opera uteretur. Vixit usque ad tempus *Motewakkili* [2]), quo regnante mortuus est, et omnibus Chalifis a *Reschîdo* inde medicus fuit. Bagdadi, ubi vixit, multos libros composuit, quos Bibliotheca philosophorum indicat [3]), sed quae scripta graeca transtulerit, non dicitur [4]).

47. — *Abu Jusuf Jaqûb Ben Ishaq Ben-elsabbâh Kindi* (*Alchindi*, *Alkendi*, *Kendi*, *Alchind*) e stirpe regia familiae *Kindeh*, num Christianus, an Judaeus, an Mohammedanus fuerit, nescimus; floruit regnantibus *Mamûno* et *Motasimo* (saeculo fugae tertio, Christi nono). A Mohammedanis non commemoratus videtur; quod si consulto ab iis factum est, Christianum eum fuisse iure concludas, et ne annus quidem, quo mortuus est, satis constat, nisi forte annum ducentesimum sexagesimum septimum fuisse credas, qui proxime a vero abesse videtur. Basrae et Bagdadi studiorum caussa versatus et omnibus doctrinis imbutus est. Quae in libris typis exscriptis et in permultis manu scriptis de eo viro leguntur, omnia eundem fontem habere videntur, Catalogum doctrinarum, ex quo, quae Casirius [5]) et *Abu'lfaradschius* [6]) referunt, ad verbum fere descripta sunt. Gartzius quoque accuratius de eo disputat [7]), et sub finem scripta unde hausit nominat. — Sequimur unum auctorem *Ibn Abi Jaqub El-Nedîm*, qui totam eius genealogiam exhibet, quam referre non est huius loci. Philosophus Arabum appellatus est, et multa scripta de arte logica, philosophia, geometria, arithmetica, musica, astronomia et aliis disciplinis reliquit, quae secundum materiam quam tractant omnia recensentur [8]); neque enim ulli scriptori tanta librorum multitudo tribuitur, quanta huic. Sine dubio etiam graecam linguam scivit, id quod libri certe ab eo editi testari

---

1) Cf. *Amor.* l. l. pag. 213. — *Casir.* I, 308-9 cl. 406-7. — Bibl. phil. pag. 88 sq. — *De-Rossi*, qui plura eius scripta recenset, pag. 165. — Cod. Catal. doctr. pag. 86 v. — Hist. Dyn. pag. 282 sq. — *Ibn Challikân* eum non laudat.

2) Regnavit 847-861.

3) Cf. *Casir.* I, 316. — Cod. Bibl. phil. p. 439.

4) *Abu'lfaradschius* (Hist. Dyn. pag. 237 sq. 245. 255. 258 sq.) non refert nisi quae ex Bibl. phil. sumsit. — Vid. *Leo Afric.* l. l. pag. 246-49. — *De-Rossi* l. l. p. 131. — *Assem.* Bibl. Or. III, 501 sq. — Cod. Catal. doctr. p. 48. — *Amor.* l. l. pag. 81. 176. 199.

5) Cf. l. l. pag. 353.

6) Hist. Dyn. pag. 273 sq.

7) Cf. l. l. pag. 27.

8) Cod. Catal. fol. 81 v. sq.

videntur. Multa scripsit in laudem Socratis, quem ardentissime singularibus libellis defendit[1]); porro dissertationem de numeris harmonicis a Platone commemoratis, de medicina Hippocratica, de magna Ptolemaei constructione sive Almagesto. Praecipue autem de Aristotele et Euclide meritus est. Categorias et librum περὶ ἑρμηνείας in epitomen coegit, Analytica priora et posteriora et libros de Theologia explanavit. De Physica Auscultatione libellum edidit itemque de eo, quod Aristoteles in Praedicamentis secutus est, consilio deque eius scriptorum ordine. De Euclidis librorum argumento atque consilio disseruit singulari libro, Euclidem ipsum arabice translatum correxit et recognovit et libros Elementorum XIV et XV translatos novis curis subiecit[2]). Praeterea omissis reliquis commemoro libellum, quo ad nonnullas ab Archimede propositas quaestiones respondit, et Hypsiclis librum de astrorum ortu sive de ascensionibus, quem emendatum et castigatum edidit. — *Ibn Abi Jaqub El-Nedîm* ducentos fere libros ei tribuit[3]). De Sacy[4]) alios etiam auctores commemorat, et pluribus de doctrina, quam amplexus fuerit, disputat. Certum autem est, eum non ante annum 247 (p. Chr. 861) mortuum esse[5]), et ex omnibus, quae tradita de eo sunt, apparet, Mohammedenos eius fidem suspectam habuisse.

48. — ***Abu Jahja Merwezi,*** quod nomen ab urbe Chorasanica *Merw* accepit, medicus fuit Bagdadi idemque *Mattae* praeceptor, cui quae explicuerat Aristotelis Analytica posteriora, de iis dissertationem edidit[6]) ac praeter ea syriaca scripta reliquit.

49. — ***Abu Mohammed El-Hasan Ben Musa Naubachti***[7]) plures sibi interpretes librorum philosophorum, ut ***Abu Othmân Dimeschqi, Ishaq Ben Honein, Thâbit Ben Qorra*** aliosque adiunxit, et ***Ibn Abi Jaqub El-Nedîm*** narrat, eum libri Aristotelici de generatione et corruptione ampliorem epitomen in breviorem contraxisse[8]).

50. — ***Abu Bischr Taberi*** Macidori (?) commentarium magnum libelli Aristotelici de meteoris arabice vertisse dicitur[9]).

---

1) Cf. *Casir.* I, pag. 357 sq.

2) *Gartzius Casirium* secutus perperam vocem arabicam, quae correctionem, emendationem significat, commentarium reddidit.

3) Cf. Cod. Cat. doctr. l. l. — *Gartz.* p. 27. — Hist. Dyn. p. 273 sq. — Annal. Mosl. I, not. 186 et 189. — *Abdollat.* p. 537 cl. 487 (77). — Not. ad Portam Mosis p. 236. — Encycl. Sect. I. Tom. III. p. 135.

4) Cf. *Abdollat.* l. l.

5) Vid. *Lakemacher* de *Alkendi* Arabum philosopho celeberrimo. Helmstadii, 1719. 4. — et *Amor.* l. l. p. 142.

6) Cf. *Haj. Khalf.* I, p. 486 n. 1437. — *Casir.* I, 309. — Cod. Catal. doctr. fol. 87 v.

7) Qui ad gentem *Naubacht* pertinent, inter eos ab *Ibn Abu Jaqub El-Nedîm* (fol 72 r. 95 r.) nominantur, qui scriptoribus ex persica lingua in arabicam transferendis insignem dederunt operam. — Cf. etiam *Casir.* I, 421. et Cod. Bibl. phil. p. 292.

8) Cf. Hist. Dyn. p. 234 cl. 258.

9) Cf. *Casir.* I, 247.

51. — *Ali Ben Zara*, mense Dzi'lhiddschet anni 331 (943 p. Chr.) Bagdadi natus, Nicolai epitomen historiae animalium Aristotelicae arabice vertit et recognovit[1]). Nescimus, num idem sit atque is, qui ab *Ibn Abi Jaqûb El-Nedîm*[2]) „*Abu Ali Isa Ben Ishaq Ben Zara Ben Juhanna* Christianus" vocatur, qui *Ishaqi* aequalis fuit, et logicae artis reliquarumque philosophiae disciplinarum scientia excelluit, atque etiam in praestantissimis graecorum scriptorum interpretibus numeratur. Epitomen edidit libri Aristotelici de parte mundi habitata[3]), logicorum eiusdem philosophi scriptorum consilio, de sententia partis eius dissertationis, quam de Coelo scripsit Aristoteles, explicuit et in argumentum Isagoges Porphyrii singulari libro inquisivit. Multa ex syriaco sermone in arabicum transtulit, ut librum Aristotelis de animalibus, Ethica et Sophistica, et quinque libros eius scripti, quod Nicolaus de philosophia Aristotelis ediderat. Praeterea nihil in Catalogo de eo legitur. Commemoratur etiam ab *Abu'lfaradschio*[4]), atque hic anno 398 (1007 s. 1008 p. Chr.) mortuum eum dicit et dialecticum vocat. Christianus fuit Jacobita.

52. — *Abu Ahmed El-Hosein Ben Abi'lhosein Ishaq·Ben Ibrahim Ben Jezîd* cognomine *Ibn Kernîb*, quo etiam pater *Abu'lhosein Ishaq* ornatus fuerat, inclaruit. Magnam inter metaphysicos et physicos famam consecutus est et cum fratre *Abu'lalâ Ibn Kernîb* in disciplinis mathematicis et geometricis versatissimus fuit, nec minus graecarum literarum accurata cognitione excelluit. Sedem habuit Bagdadi et plures libros scripsit, quibus et de mathematicis egit et quum alios tum *Thâbitum Ben Qorra* refutare studuit, quorum nonnullos *Ibn Abi Jaqûb El-Nedîm*[5]) et qui eum exscripsit auctor Bibliothecae philosophorum[6]) memorat. — *Abu Ahmed* partem commentarii Themistii in librum I et IV Physicae Auscultationis vertit. Praeterea laudatur a Casirio[7]) pariterque eius frater *Abu'lalâ*[8]), cuius scholis *Abu'lwefâ Mohammed Buzdschâni* anno 348 (959 p. Chr.) Bagdadi assidue interfuit.

53. — *Abu'lfaradsch Codâma Ben Dschafar Ben Codâma* partem libri primi Physicae Auscultationis explicuit[9]). *Hadschi Chalfa* eum non commemorat.

54. — *Abu Ali Ibn-elsamh*, vir logicae artis peritus, in Iraca natus sine dubio Bagdadi vixit. Plures videtur egregios commentarios in Aristotelis scripta com-

1) Cf. *Casir.* I, 310.
2) Cod. Catal. doctr. fol. 88 v.
3) Ita Arabes librum de mundo (περὶ κόσμου, sive περὶ τοῦ παντὸς sive περὶ κοσμοποιΐας) vertisse videntur.
4) Cf. Hist. Dyn. p. 338.
5) Cf. Cod. Catalog. fol. 87 v. cl. fol. 94 r. etc.
6) Cod. Bibl. phil. p. 198.
7) Cf. l. l. I, 389.
8) Cf. ibid. p. 434.
9) Cf. Cod. Catal. fol. 77 v.

posuisse, ex quibus ille maxime laudatur, quem ad Physicam Auscultationem explicandam edidit, non singula verba sed summam sententiarum persecutus [1]).

55. — *Abu Ruh El-Sabi* duos Alexandri Aphrodisiensis libros de Aristotelis Auscultatione Physica ex lingua syriaca in arabicam transtulit [2]). Catalogus solum nomen, sed *Ibn Ruh* pro *Abu Ruh* habet [3]).

56. — *Abu Sahl Widschen Ben Westem Kuhi*stanensis, qui regnantibus Buidis *Adhod-ed-dewlet* et *Scheref-ed-dewlet* floruit et anno 384 (994 p. Chr.) diem supremum obiit. Hic eam ob caussam commemoratur, quod Elementa ad Elementa Euclidis, sed imperfecta tantum, reliquit. Praeterea additamenta ad Archimedis librum II edidit [4]).

57. — *Abu Said Senán Thábiti Ben Qorra* filius, Carris natus, medicus illius aetatis clarissimus fuit, et in aula *Moqtediri* et *Qádiri* Chalifarum medici munere functus est. Ex Christiano minitantis *Qáhiri* immanitatem metuens factus est Mohammedanus, et e Chorasana, quo fugerat, redux anno 331 (p. Ch. 942 sive 943) Bagdadi mortuus est. Ex iis quae edidit scriptis translationem arabicam legum Hermetis et recognitam ab eo libri Archimedis de figuris triangularibus, conoidibus etc., quam Josephus sacerdos ex lingua syriaca fecerat, commemoramus [5]).

58. — *Abd-el-rahman Ben Abd-el-kerîm Ben Wáfid Lachmi* Hispanus sive ut Arabes dicere solent *Andalusi*, studio philosophorum veterum et medicorum magnam gloriam consecutus est, quamquam eorum libros non vertit; sed praeterquam quod legendis Aristotelis scriptis diligenter operam dedit, Dioscoridis librum et Galeni de medicamentis simplicibus dissertationem in meliorem ordinem redegit, et volumen quingentarum fere plagularum inde effecit. Toleti medicinam exercuit ibique medio saeculo quinto floruit. Natus autem esse dicitur mense Dzi'lhiddschet anni 389 (999 p. Chr.) [6]).

59. — *Abu Abdallah Mohammed Ben Isa Mahâni* [7]), civis Bagdadensis et illius aetatis clarissimus geometra, praeter alia scripta commentarium in librum V Elementorum Euclidis et alium de figuris geometricis viginti sex reliquit [8]).

---

1) Cf. *Casir.* I, 246 et Cod. Bibl. p. 475.

2) Cf. *Casir. l. l.*

3) Cod. Cat. fol. 100 r.

4) Cf. *Casir.* I, 444. — Cod. Bibl. phil. p. 405. — Hist. Dyn. p. 329-330., ubi plura de fortunae quas expertus est vicissitudinibus narrantur. — *Gartz.* p. 39., ubi locus Casirii perperam translatus est. — Cod. Cat. fol. 100 v.

5) Cf. *Casir.* I, 438-39. — Cod. Bibl. phil. p. 222. — Cod. Cat. fol. 94 r. — Hist. Dyn. p. 293. — *Abulf.* Ann. Mosl. II, 424.

6) Cf. *Casir.* I, 405 (a).

7) Non *Mohâni*, ut apud *Casir.* I, 340 et *Gartz.* p. 30. cl. p. 10, nec *Hamâni*, ut in omnibus *Hadschi Chalfae* codd. mss. (cf. I, 382., et *Gartz.* p. 10 not. 15.) legitur.

8) Cf. Cod. Bibl. phil. p. 334. cl. *Casir.* I, 340 et 431 (b). — Cod. Cat. fol. 93 v.

60. — *Mohammed Ben Kethír Fergáni* in urbe *Fergána* trans Oxum natus, astronomus non mediocris fuit et fragmenta edidit, quibus quae optima viderentur ex Almagesto excerpta continebantur[1]).

61. — *Abu Amru Musa Ben Meimun,* vulgo *Meimonides* vocatus, clarissimus ille philosophus Judaeus Cordubensis, cuius *More Nevochim* sive „Perplexorum Directorium" liber omnibus notissimus ac celebratissimus est, praeter alia permulta scripta compendium edidit librorum Galeni XXI, quos libris XVI complexus est ita, ut alia adderet, alia deleret, qua in re brevitati, non utilitati consuluit. Per longum temporis spatium in Aegypto habitavit, quam ob caussam etiam Aegyptius appellatur. Natus est anno Christi 1139 et mortuus anno 1208 s. 1209. *De-Rossi*[2]) inter eius scripta arabice edita „gli Aforismi, Commento sugli Aforismi d'Ippocrate" recenset[3]).

62. — *Abu Ali El-Hosein Ben Abdallah Ibn Síná (Avicenna)*, qui cum *Farabio* philosophiam Aristotelicam subtilissime perspexit[4]) et ab Arabibus ipsis philosophorum et medicorum princeps dicitur et nomen *El-Scheich El-Reýs* i. e. „doctor princeps" habuit, Afschenae, qui pagus est Bocharensis, initio anni 370 (p. Ch. 980) natus est. A patre Persa, qui Bocharae sedem fixam habuit, puer magistris urbis erudiendus et docendus traditus est; ex quibus plurima debet *Abu Abdallae Nabili*, quicum Euclidem et alia scripta legit. Sedecim annos natus medicinam exercuit, cuius cognitionem sibi experientia maxime et usu comparaverat. Vix decimum octavum aetatis annum cum attigisset, iam omnium disciplinarum cognitionem complexum se fuisse ipse narrat. Iter postea fecit urbes *Korkendsch, Nisa, Tus, Schaqan, Simindschán, Dschadscherm,* quae in extrema Chorasana sita est, visurus, quo facto in Dschordschan (Georgiam) revertit. Deinde Dabestan peragravit, Isfahanum se contulit, et Hamadani mortuus est anno 428 sive 429 (1037 s. 1038 p. Chr.). Haec brevissime narravimus, cetera in alium locum reiicientes. De Aristotele meritus est libello, quo argumentum Categoriarum persequitur, et multa eius scripta commentatus est. Deinde Euclidis Elementa, arithmeticam et musicam in compendium contraxit ita, ut nova de suo adiiceret. Praeterea obscuriores Euclidis quaestiones explanare studuit et egregia arithmetica problemata primus proposuit. Almagestum

---

1) Cf. Cod. Cal. fol. 98 r. — Cod. Bibl. phil. p. 327 cl. *Casir.* I, 432 (c). — *Ibn Foszlan* l. l. XIX et p. 40. — *Hadschi Chalfa* pluribus locis.

2) Cf. l. l. pag. 118 sq. et Dizion. stor. degli autori ebrei II, 21.

3) Vid. *Abdollat.* pag. 490 (93) et 491 (99). — Port. Mos. pag. 2 sq. — *Casir.* I, 293 sq. — Cod. Bibl. phil. pag. 366 sq. — Histor. Dynastiar. pag. 454. — *Amor.* l. l. pag. 134. 193. 203. 206.

4) Cf. Hist. Dyn. pag. 94 et 349 sq.

quoque diligentissime legit, eumque decem quaestionibus de adspectuum differentiis auxit [1]).

63. — *Filii Mosis Ben Schâkir*, qui tres fuerunt, *Mohammed*, *Ahmed* et *Hasan* (vulgo simpliciter *Filii Mosis* vocati), in geometria, musica, astronomia aeque versati, eam maxime ob caussam hic commemorandi, quod non solum ipsi plures Graecorum libros arabice reddiderunt, sed etiam scriptis illis undecunque collectis et bonis et doctis interpretibus accitis, summam praestiterunt liberalitatem et indefessum disciplinarum adiuvandarum et amplificandarum studium. Quae de his Casirius [2]) narrat, iis augenda sunt, quae ab eo omissa in ipsa Bibliotheca philosophorum [3]) inveniuntur. Eorum pater *Musa* sive *Moses* in aula *Mamûni* munere aliquo functus est, sed omni literarum cultu et eruditione caruit; quid quod iuvenis latrocinatus fuerat in regionibus Chorasanicis, vir audacissimus et ad ferocissima quaeque promtus et paratus. Mortuus est relictis illis tribus filiis pueris, quos *Mamûnus Ishaqo Ben Ibrahîm Masabi* in collegio sapientiae erudiendos commisit. Eorum natu maximus *Abu Dschafar Mohammed*, sine dubio doctissimus et clarissimus, maxime Euclidem et Ptolemaei Almagestum tractavit et magnam librorum copiam de astronomia, geometria, arithmetica, logica congessit. Postea cum Turcae Chorasana potiti essent, fratres in *Iracam* se receperunt, ubi *Mohammedi* annui reditus fuerunt quadringenta numorum aureorum millia, *Ahmedi* fratri septuaginta fere millia, quae *Mamûnus* eis assignasse videtur, qui geometram non esse dixit, nisi qui totum Euclidem legisset. — *Mohammed* recognovit translationem octo posteriorum librorum Galeni de „methodo medendi" ab *Hobeisch*io factam [4]) et Apollonii Conica sive vertit sive commentatus est [5]). Vixerunt usque ad Chalifam *Mothadhid* [6]), quo regnante [7]) *Mohammed* praeceptor *Thabiti Ben Qorra* fuit, qui eum ad *Mothadid* perduxit atque effecit, ut in astrologorum numerum reciperetur [8]).

---

1) *Ibn Sina* sine dubio dignus est, in quem singulari cura inquiratur. — Cf. de eo *Gartz.* p. 14 et auctores ibi p. 15 sq. laudati. — *Leo African.* pag. 256-61. — Allgem. Weltgesch. von Guthrie u. Gray. Bd. 6. Th. 2. S. 615. — Ann. Moslem. II, not. 104. — III, 92 et not. 62-65. — *Abdollat.* p. 535. 536. 540. 547. — Not. ad Portam Mosis p. 235 sq. — et *Plempius* in praef. Canonis, quos auctores *Gartzius* omisit. — Praeterea vid. Cod. Bibl. phil., ex qua Casiri (I, 268 sq.) pauca tantum deprompsit — et *Amoreux* l. l. p. 105 sq. cl. 147.

2) I, pag. 417 sq.

3) Pag. 510 sq.

4) Cf. *Casir.* I, 256.

5) Cetera eorum scripta vid. apud *Casir.* I, 418 cl. 385 lin. ult. — Cod. Bibl. phil. pag. 510 sq. — De patre ibid. pag. 364.

6) Cf. *Hadschi Chalfa.* — Hist. Dyn. p. 279 sq.

7) Imperium tenuit 892-902.

8) De *Mohammedo*, qui anno 259 (p. Chr. 872 s. 873) obiit, cf. Ann. Moslem. II, 240 et not. 208. — *Ibn Chall.* n. 718. — Cod. Cat. fol. 93 r. — Cod. *Ibn Abi Oseib.* fol. 126 r.

64. — *Fadhl Ben Hatim Neirizi* i. e. urbe persica *Neiriz* oriundus (nisi forte *Tebriz* legendum), geometres et astronomus satis notus, qui tertio post fugam saeculo floruisse dicitur, praeter alios quibus astronomia et mathesis tractatur libros commentarium in Elementa Euclidis [1]), in Ptolemaei Almagestum et librum ad Syrum edidit [2]).

65. — *El-Abbás Ben Saíd Dschauheri* regnante *Mamúno* floruit astronomiae et instrumentorum fabricandorum peritia. In eorum numero fuit, qui iussu *Mamúni* primi astra observarunt et tabulas astronomicas confecerunt in urbe Schemasia anno fugae 210 (a. p. Chr. 825 sive 826) sive 214 (829), ut *Hadschi Chalfa* in capite de astrorum observatione narrat. Casirius quoque pauca de hac re habet [3]); eum exscripsit Gartzius [4]). — Praeter alia commentarium Euclidis publicavit et dissertationem, qua figuras sive propositiones libri primi Euclidis novis auxit et complevit [5]).

66. — *Natzíf el-nafs* Rumaeus et aequalis Ioannis Sacerdotis [6]), medicus tempore *Adhod-ed-dewleti* floruit, circa annum 970 p. Chr., et in libris e graeco sermone in arabicum vertendis exercitatus fuisse dicitur [7]). Idem Sultanus ei nosocomium, quod Bagdadi exstruxit, administrandum tradidit cum aliis viginti quattuor medicis, qui aegrotis curandis praeessent. Eundem partem libri X Euclidis, quae in vulgatis editionibus non legitur, arabice reddere decrevisse, narrat Casirius ex Bibliotheca philosophorum [8]); num vero rem perfecerit, nusquam dictum video [9]).

67. — *Ahmed Ben Omar Kerábísi* geometriae et arithmeticae peritissimus de iisdem disciplinis plura scripta edidit. Scripsit etiam commentarium in Euclidem [10]).

68. — *Abu Hafs Chorasáni*, quem d'Herbelotius *Hareth* itemque Bibliotheca philosophorum appellat, Euclidis Elementa explanavit. *Hadschi Chalfa* et *Ibn Challikán* eum silentio praeterierunt [11]).

69. — *Abu'lwefá Mohammed Ben Mohammed Ben Jahja Ben Ismaíl Benelabbás Buzdschání*, qui in oppido inter Heratam et Nisaburam sito anno 328 (a. 940 p. Chr.) mense Ramadhán natus est, et postquam adolevit, Bagdadum se contulit, ubi ducibus *Abu Jahja Mawerdi* (non *Báwerdi*) et *Abu'lalá Ibn Kerníb* anno fugae 348 (959 p. Chr.) geometriae et arithmeticae operam navavit; et de iisdem artibus

---

1) Vid. *Casir.* I, 341 el. 421.

2) Cf. *Casir.* I, 421 (a). — Cod. Bibl. phil. pag. 292 (ubi *Chatim* pro *Hatim*). — *Gartz.* pag. 22. — *Haj. Kh.* I, 382. — Cod. Cat. fol. 98 r.

3) Cf. l. l. I, 403 (a).

4) Cf. l. l. pag. 13.

5) Cf. *Haj Kh.* I, 382.

6) Cf. Cod. Cat. fol. 100 r.

7) Cf. Cod. Bibl. phil. pag. 388.

8) Cf. l. l. I, 341.

9) Cf. Hist. Dyn. p. 326 sq. — *Amor.* l. l. p. 204.

10) Cf. *Haj. Kh.* I, 382. — *Gartz.* pag. 18. — *Casir.* I, 410 (b) el. pag. 341. — Cod. Cat. fol. 99 v., ex quo omnia illa hausta sunt.

11) Cf. *Casir.* I, 341 et *Gartz.* pag. 13.

scholas instituit. *Ibn Challikán*, qui eum laudat [1]), postquam per viginti annos frustra quaesivit, tandem annum, quo mortuus est (387 fugae sive 997 p. Chr.), in *Ibn-elathíri* Historia commemoratum invenit. Idem auctor diserte dicit, quae de eo protulerit, se ex Catalogo sumsisse, et profecto ibi [2]) longe alia narrantur et sine dubio probabiliora, quam in Bibliotheca philosophorum. *Buzdschani* enim ducibus *Abu Amru Megázili* patruo et *Abu Abdallah Mohammed Ben Anbasa* libros geometricos et arithmeticos legisse, nec tamen has literas docuisse, *Abu Amru* autem geometriae studio auspiciis *Abu Jahjae Mawerdi* et *Abu'lalae Ibn Kerníb* operam dedisse, seque anno quem diximus (348) in Iracam contulisse fertur. Prorsus igitur Gartzius erravit in omnibus, ubi Casirium, cuius vestigia semper premit, ducem habuit. Praeter Euclidem, quem commentario sed inchoato tantum et imperfecto instruxit [3]), Aristarchi Samii librum de magnitudinibus et distantiis solis et lunae recognovit, arabice vertit, explanavit et argumentis geometricis auxit et confirmavit [4]), commentarium in Diophanti librum de algebra composuit et propositiones, quae in Diophanti libro leguntur, demonstravit et argumentis probavit. Quod dixit Casirius, anno 388 (998 p. Chr.) eum mortuum esse, non hausit nisi ex Bibliotheca philosophorum, etsi fontem non nominavit [5]).

70. — *Abu'lcásim Ali Ben Ahmed Antáki* i. e. Antiochenus, honoris caussa *Mudschtebi* i. e. „electus" cognominatus, Bagdadi sedem habuit ibique mortuus est. In aula Buidae *Adhod-ed-dewlet* summis honoribus ornatus est et inter Sultani familiares fuit. Cum arithmeticae et geometriae peritia eloquentiam et sermonis elegantiam coniunxit, et praeter alia scripta arithmetica et geometrica commentarium in Euclidem edidit. Mortuus est anno 376 (987 p. Chr.) [6]).

71. — *Send Ben Ali* Iudaeus, *Abu'ltayyib* cognominatus, *Mamúno* regnante doctrinam Mohammedanorum amplexus est. Astronomus fuit in eiusdem Chalifae aula et templum Christianorum exstruxit, quod extra portam Schemasiae est in loco sacro palatii *Moizz-ed-dewleti*. Hic cum *Abbáso Ben Saîd* observandis sideribus *Mamúno* duce operabatur et omnibus astronomis, qui ad hanc rem congregati erant, praefuit. Tabulas astronomicas tam egregie instituit, ut per longum tempus astronomi recentiores iis uterentur. Instrumenta quoque astronomica correxit et emendavit, et praeter alia scripta astronomica et arithmetica commentarium in Ele-

---

1) Cf. l. l. n. 720.
2) Cf. fol. 100 r.
3) Cf. *Casir.* I, 341.
4) Vid. ibid. I, 346 (a).
5) Cf. Bibl. Medic. Catal. Cod. 120. — Hist. Dyn. pag. 338 sq. — Annal. Mosl. II, 598. — *Gartz.* pag. 29.
6) Cf. Cod. Cat. fol. 101 r. — *Casir.* I, 411 (b). — *Gartz.* pag. 19. — *Haj. Kh.* I, 352. — Cod. Bibl. phil. pag. 271.

mentorum Euclidis libros novem priores et partem decimi edidit. — Quae hic relata sunt, omnia in Catalogo leguntur, et locus apud Casirium ad verbum ex Bibliotheca sumtus, totus ex illo libro exscriptus est. *Hadschi Chalfa Sendum* eo loco laudat, ubi de observationibus astrorum iussu *Mamúni* institutis loquitur [1]).

72. — *Jaqub Ben Mohammed El-Razi, Abu Jusuf* cognominatus, qui in usum *Ibn-elamîdi* librum Elementorum Euclidis decimum egregie interpretatus est, et ab *Hadschi Chalfa* [2]) laudatur. Quis vero fuerit et quo anno mortuus sit, ex Catalogo [3]) intelligi non potest, in quo ne id quidem legitur, quod memorat *Hadschi Chalfa*, Euclidem eum exposuisse. Plures edidit libros arithmeticos [4]).

73. — *Abu Mohammed Ben Abd-el-baqi* Bagdadensis (nisi forte *Abu Bekr Mohammed* legendum) [5]), vulgo *Qádhi máristán* sive iudex nosocomii dictus, ab auctore Catalogi commemoratus esse non videtur. Codex Bibliothecae eius nomini adiicit *Faredhi* i. e. statutorum divinorum peritus; nondum autem, quo tempore vixerit, erui potuit; sed ante auctorem Bibliothecae eum floruisse, ex hac ipsa patet. Scripsit autem commentarium in Euclidis Elementorum librum X clarum et dilucidum, ubi propositiones numeris exprimuntur [6]).

74. — *Abu Ali El-Hasan Ben-elhasan Ben-elheithem* Basrensis, geometres et philosophus ab Arabibus dictus, Cahirae sedem habuit, ubi etiam mortuus est anno 430 (1038 p. Chr.). *De-Rossi* [7]): „Più conosciuto, inquit, presso gli europei sotto il nome di Hazen". Clarissimum igitur esse vult illum „opticum" *Al-Hazen* ab Europaeis vulgo vocatum. At iam Gartzius [8]) monuit, Montuclam et Priestleyum bene distinguere inter illum *El-Hazen* et hunc *Abu Ali El-Hasan*, ex quibus id certe apparet, rem nondum satis enucleatam esse. Omnes Arabes, in quibus maxime auctor Bibliothecae philosophorum [9]), *Abu'lfaradschius* [10]) et *Hadschi Chalfa* recensendi sunt, eum „virum ingenii felicis, varia eruditione ornatum et in mathematicis scrutatorem sagacissimum" praedicant. Patriam reliquit ab *Hákim biamrallah* Aegypti Sultano Cahiram accitus. Hic autem nobis eam potissimum ob caussam memorandus est, quod definitiones Euclidis explanavit et dubios locos expedire studuit [11]), commentarium in Canonem Euclidis edidit, quem librum fortasse eundem

---

1) *Casir.* I, 440. cl. p. 341. — et *Gartz.* p. 36.
2) Cf. Tom. I, 382.
3) Cf. fol. 99 v.
4) Cf. *Hadschi Chalf.* pluribus locis.
5) Cf. ibidem.
6) Cf. *Casir.* I, 342. et ibid. p. 382. — *Gartz.* pag. 14.
7) Dis. pag. 98.
8) Cf. l. l. pag. 22.
9) Cf. pag. 194. sq. cl. *Casir.* I, 415 sq.
10) In Hist. Dyn. pag. 339 sq. et eiusdem Chron. syriac. pag. 222 sq.
11) Cf. *Haj. Kh.* I, 382. — Catal. Bibl. Lugd. Bat. n. 1069. pag. 453.

esse cum eius scripto de sectione canonis Gartzius[1]) coniicit, Almagestum quoque recensuit et emendavit, de sectione lineae, qua Archimedes in globo usus est, ac de pluribus, quae apud Ptolemaeum dubia viderentur, disseruit[2]).

75. — *Ahmed Ben Mohammed Ben Kethir Fergáni*, filius *Fergánī* supra laudati, in astronomis numeratur, quos *Mamún*us in aula congregatos habuit; omnes libros Ptolemaei in epitomen coegit, quae maximam partem puro ac perspicuo sermone excellit et quodammodo introductionem continet in astronomiam[3]).

76. — *Ahmed Ben Jusuf*, astronomus excellentissimus inter alia scripta et „Ptolemaei Centiloquium" sive „Fructum librorum suorum" commentatus esse dicitur[4]).

77. — *Abu Abdallah Mohammed Ben Dschábir Ben Sinan Raqqi*, vulgo *Bettani*, ab Europaeis vero *Albategni* sive *Albateni* vocatus, Sabaeus, ex urbe Harran originem duxit et Raqqae habitavit. Sidera observare coepit ab anno fugae 264 (877 sive 878 p. Chr.) usque ad annum 306 (i. e. 918 sive 919 p. Chr.). Raqqa se cum filiis *El-Ziyát*[5]) Bagdadum contulit; cum vero inde in patriam rediret, media in via in *Castello El-Hadhr*, urbe antiqua prope Tecrít inter Tigrim et Euphratem sita, mortuus est anno 317 (i. e. 929 p. Chr.). Haec in Catalogo narrantur; ad quae *Ibn Challikán*[6]) adiicit: „Nescio an *Bettáni* sive *Bittáni* doctrinam islamicam amplexus fuerit necne, nomen tamen id probare videtur. *Bettáni* autem dictus est a regione *Bettán* prope *Harrán* sita." Praeterea teste Casirio[7]) in Tabulis astronomicis „solis et lunae motus ab ipso diligenter observatos secundum Almagesti probationes exhibet", Almagestum in epitomen coegit[8]), eiusdem Ptolemaei librum ad Syrum sive Quadripartitum commentario instruxit. — Assemani[9]) eum summis laudibus effert et Andres[10]) eundem locum inter Arabum astronomos tenere dicit, quem

---

1) Cf. l. l. pag. 24.

2) De ceteris eius scriptis vid. *Casir.* I, 416.

3) Cf. *Casir.* I, 409 (e). — Bibl. phil. pag. 90. — *Hadschi Chalfa* et *Ibn Challikán* nullam eius mentionem faciunt.

4) Cf. Cod. Bibl. phil. pag. 90.

